

Schneidermann



DE

FIDEI NOTIONE ETHICA PAULINA

SCRIPSIT

GEORGIUS SCHNEDERMANN

THEOL. LIC. PHIL. DR.



LIPSIAE

PROSTAT APUD J. C. HINRICHS

1880.


ANDOVER THEOL. SEM.
NOV
23
188

PATRI

AMATISSIMO SPECTATISSIMO

THEOLOGIAE STUDIOSISSIMO.

Quum permulti jam et doctissimi viri de fidei notione libros conscripserint[1]), vereor ne immodestus videar denuo de hac notione scripturus. Tamen non potui quin hanc mihi eligerem materiem, quia tam non negligenda quam a multis neglecta mihi videbatur. Quamobrem perquisivi Pauli apostoli epistolas, ut ejus de fide cogitata quam accuratissime perciperem, quoniam fidem inter notiones principales Paulinas esse satis notum est. Non ignoravi, etiam de hac re multas jam inveniri disceptationes. Satis est commemorare, omnes reformatores ecclesiae niti notione fidei Paulina; satis est adjungere *Neandrum*, *Usterium*, *F. C. Baurium*. Sed notio fidei instar fontis tam profundi est, ut ego quoque fortasse ex eo aliquantum exhaurire possim neque timendum mihi sit ne exhauriam. Atque quid obstat, quominus nota etiam diuque dicta rursus dicantur, ne forte obliviscamur? Ordinem vero dissertationis ita instituemus, ut prooemio brevissimo antecedente, in quo de vita Pauli pauca dicentur, singula epistolarum Paulinarum genera ut fidei ejus notio [2]) cognoscatur perquiramus.

---

[1]) Omissis omnibus qui omnino de dogmatica scripti sunt inprimis ex novissimis noto *D. Schulzii* (1834) et *Köstlinii* (*1859; cf. Deutsche Jahrbücher t. IV.*) de fide libros, atque *Frankii Erlangensis „System der christlichen Gewissheit“*, qui quamvis de fide non disserte agere videatur, tamen multa affert ad intelligendam fidem, denique *Dorneri „System der christlichen Glaubenslehre“* tom. I, p. 1—172. — [2]) Quamquam constat (cf. *Usteri, Paul. Lehrbegriff 1834, p. 93*) definitionem in epistolis Paulinis non inveniri, tamen injuria non nulli theologi Paulum distinctam fidei notionem omnino habuisse negant. Miro modo diversas notiones apud eum investigatas conglutinare solent. Opus est ante omnia genus proximum investigare, cui fidem tribuerit, quod quidem si invenero satis fecisse mihi videbor. De notionibus Paulinis cf. *Frickii* viri doctissimi de Gal. 3, 15—25 commentationem, 1879, p. 6.

Prooemium.

Ubi primo in actis apostolorum de Paulo scribitur 9, 15., Dominus ipse fertur dixisse, Paulum esse σκεῦος ἐκλογῆς τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομά μου κτλ; Paulum autem ipsum legimus statim post conversionem praedicavisse Jesum, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ v. 20. Novam sibi elegit viam agendi Paulus non voluntarie, sed magna illa revelatione commotus; atque inde ab illo tempore summa fuit praedicationis ejus: Jesus, quem antea persecutus sum, e mortuis resurrexit et filius Dei demonstratus est; in eo solo salus invenitur. Idem ex orationibus ejus quae sunt in actis apostolorum, idem ex epistolis perspicitur.

Inde factum est, ut maximum ei videretur discrimen esse duarum vitae suae partium [1]). Eo enim tempore, quod ante conversionem erat, Jesum et ecclesiam Dei vel ignoraverat vel persecutus erat; post conversionem Jesu serviebat. Ortum est hoc discrimen quod inter ποτέ et νῦν erat, si rem externam respicimus, ex ipsa illa revelatione, si vero animum Pauli animadvertimus, ex ea re, de qua illa visione certior factus est, scilicet Christum vivere Act. 13. 17. 22. I. Cor. 15, unde intellexit, eum filium Dei esse ad homines missum conclusitque, eum σωτῆρα esse hominum, quo quidem Deus σωτηρίαν vel ζωὴν αἰώνιον omnibus hominibus gratia sua donare velit.

Inde ab eodem vero illo tempore fidem praedicavit tanquam eam actionem internam, quae orta sit ex illa revelatione Christi eique respondeat, quae se dirigat in Christum viventem Deique per eum manifestam gratiam, denique qua accipiatur salus aeterna.

---

[1]) *Usteri* duas habet libri *(Paulinischer Lehrbegriff)* partes: *I. Die vorchristliche Zeit. II. Das Christenthum.*

Idem vero discrimen Paulus dixit esse in vita omnium ceterorum Judaeorum, qui Christo serviebant. Eos et ipsos plane in novum vitae statum ingressos esse, ex falso scilicet in verum credidit. Omnes autem eos Iudaeos, qui fidem Christi denegent, salutem accipere negat. Itaque fidem non sibi soli, sed omnibus Judaeis solum esse principium vitae confirmavit. Quia vero legem Mosaicam multi malebant observare quam Christum accipere, fidem et gratiam praedicavit legi esse oppositam.

Atque gentium apostolum se appellavit. Gentibus ὀφειλέτην se esse dicit, ut Christum praedicet et fidem. Qui ex gentibus Christum agnoverant dominum fide, iis et ipsis de magno illo discrimine scribit; ποτέ enim eos versatos esse in peccatis, νῦν in fide versari et ob eam rem salutem habere (Gal. 3. Eph. 2. I. Cor. 6, 11. Tit. 3, 3 s.). Itaque apparet, Paulum firmissime credidisse, non posse quemquam neque justum neque bonum esse neque Deo placere neque vitam aeternam habere nisi fide christiana; longum abesse non solum a cognitione veritatis, sed etiam a justitia et salute, qui a fide absit: ex fide sola venire nobis veritatem et justitiam et salutem. Cf. Gal. 2, 16.

Paulus homo hebraeus fuit linguae graecae peritus. Vocabulum πίστεως accepit a parentibus suis et civibus certo quodam sensu neque potuit non eodem sensu adhibere quo illi. A Graecis accepit, πίστιν, quia cum πείθειν et πεποιθέναι cohaereat, de eo enuntiari cui de aliqua re persuasum sit vel qui alicui confidat. A Judaeis vero accepit, optimam et veram fidem esse in eo, qui soli Deo vero confidat idque firmissime; hoc enim ex vocabulo הֶאֱמִין atque ex versione septuaginta interpretum didicit[1]). Quae quamquam utilissimum esset perscrutari[2]), tamen et longum est hoc loco disserere neque sufficit; Paulus enim certe singulari modo notionem πίστεως quum accepit tum sensu christiano implevit. Qua re cavendum est, ne alienum sensum afferamus.

---

[1]) Cf. *Delitzschii* viri doctissimi *Comm. zum Hebräerbrief*, *1857*, *p. 520.* — [2]) Vide, quomodo *Lipsius* in libello, cui inscribitur „*Die paulinische Rechtfertigungslehre*“ Lips. 1853 in disceptanda notione δικαιοσύνης initium fecerit ab usu philosophico Graecorum, deinde vero transgrediatur ad notionem biblicam. Πίστις vero et πιστεύειν philologice tractantur a *D. Schulzio*, l. c. p. 61—77.

I.

Quaeramus igitur primo, quae fidei notio inveniatur in epistolis ad **Thessalonicenses** [1]) missis. Debemus enim separatim de iis disserere, quia sunt qui non Paulinas eas esse dixerint, quod quamquam non habeo cur credam, tamen si forte jure dixerunt, injuria notionem fidei constituisse viderer, si una cum ceteris epistolis illas tractarem. Utile etiam mihi videtur esse initium facere ab iis Pauli apostoli scriptis, in quibus priores ejus sententias doctrinasque scriptas invenimus; fieri enim certe potuit, ut quae de fide antea sensit apostolus postea aliquo modo mutata sint. Una re differunt illae epistolae priores a posterioribus, scilicet quod in illis disserta explicatio de fide non est, quamvis prima ejus rudimenta non absint. In eo tum versabatur apostolus modo scribendi, ut thetice evangelium nuntiaret; antitheses enim nondum ea qua postea invidia ei objectae erant; leves potius et amicae objectiones, fidelium videlicet, in his epistolis tanguntur. Ob eam vero ipsam causam optime in his scriptis potest observari, quid Paulus etiam tum fidei attribuerit, quum de ea disserte scribere nollet.

Est autem, si eum sequimur, fides I, 1, 2 ss. res quaedam summa laude digna; qua quod Thessalonicenses affectos novit, semper et ubique Paulus Deo gratias agit. Est res quaedam conglutinata cum caritate et cum spe [2]), eodem modo cum opere (ἔργον) conjuncta (cf. etiam II, 1, 11), quo caritas cum labore (κόπος) et spes cum patientia. Quod igitur de caritate et de spe, idem de fide erit dicendum: eam esse virtutem aliquam christianam, illam vero, quae maxime operando cognoscatur et, quia primo appelletur loco, primum fortasse inter tres illas virtutes obtineat locum.

Neque vero negligendum est, Paulum laudare quidem Thessalonicenses, gratias autem agere Deo, ut Deum veram causam fidei caritatis spei declaret, cf. I, 3, 9; II, 1, 3, sicut I, 3, 10 Deum

---

[1]) Cum iis, quae sequuntur, conferatur inprimis *Weiss*, *Biblische Theologie, 1880, pag. 208 ss.* quum omnino tum de singulis nonnullis rebus eadem fere explicans. — [2]) Eodem modo conjungitur πίστις et ἀγάπη I, 3, 6 et II, 1, 3, quo quidem loco de fide dicitur ὑπεραυξάνει, ἀγάπην vero adjungitur pertinere ad homines; v. 4. vero pergit apostolus laudans ὑπομονήν et πίστιν in persecutionibus, quam quidem πίστιν *Luenemann* nostra „*Treue*“ vertere non satis idoneis causis mihi videtur.

precibus aggreditur Thessalonicensium causa. Idem ex versibus sequentibus (I, 1, 4 ss.) perspicitur, quum causam gratiarum suarum afferat duplicem, subjectivam quidem, quod sciat ἐκλογήν electionem eorum divinam, ex qua cognoscatur amor Dei, qua re addit ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ ϑεοῦ —, et objectivam v. 5 ss.: praedicationem evangelii inter eos omni potestatis divinae manifestatione factam. Velut igitur causa gratiarum Pauli scientia ejus (εἰδότες) est electionis eorum, ita causa fidei et caritatis et spei eorum amor Dei et electio et praedicatio evangelii, cf. II, 2, 13.[1])

Quomodo vero Thessalonicenses tales facti sint, quales sint, sive quomodo in novum illum statum moralem christianorum ingressi sint, intelligitur v. 6: imitatores facti sunt (ἐγενήϑητε) apostolorum et Domini ipsius, δεξάμενοι τὸν λόγον . . μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου. Idem δέξασϑαι invenitur I, 2, 13; negative vero II, 2, 10 in infidelibus, quippe qui τὸ δέξασϑαι nolint praestare. Δέξασϑαι vero est actio quaedam una et simplex sibi assumendae alicujus rei; quia vero hic agitur de verbo Dei praedicato, existimatur actio spiritualis. Atque sicut verbum Dei non sine viribus divinis praedicatur v. 5 et in fidelibus vivum se praestat I, 2, 13, — ita ne assumitur quidem sine Spiritu Sancto I, 1, 6.[2]) Initium igitur novi status christiani factum est actione quadam humana spirituali, assumendi scilicet evangelii, viribus a Spiritu Sancto suppeditatis.

Quae quum ita sint, τύπος facti sunt Thessalonicenses πᾶσιν τοῖς πιστεύουσιν I, 1, 7. Οἱ πιστεύοντες sunt christiani; τὸ πιστεύειν igitur est id, quo christiani cognoscuntur; hac voce brevissime significantur, unde intelligitur, fidem inter tres illas virtutes christianas re vera singularem locum obtinere. Cf. I, 2, 10. 13; II, 1, 10. Neque nimis celeriter concludemus cogitantes, ne initium quidem novi christianorum status alio modo fieri quam τῷ πιστεύειν, ut illud δέξασϑαι τὸν λόγον idem sit atque initium τοῦ πιστεύειν, vel idem quod

---

[1]) Hoc loco Deus dicitur solvisse nos (εἵλατο) duabus rebus sive condicionibus: ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληϑείας. Deus igitur principaliter est is, qui agit; quomodo vero fides cum Deo cohaereat, non dicitur. Num *Weiss l. c. p. 211* ἁγ. πν. jure baptismum esse declaret, dubito. — [2]) Ad quem locum *Calvinus* scribit: Atque hinc melius constat, quam necessarium sit Spiritum hic nobis opitulari . . Atqui nihil magis ingenio nostro adversum, quam in afflictionibus gaudere.

πιστεῦσαι II, 2, 11 cf. 12. Sive enim πιστεύειν ex alia aliqua actione aut hominis aut Dei nascitur sive sui ipsius est origo: fuit certe aliquo tempore et aliquo modo initium. Satis autem aperte v. 8 ss. cf. II, 2, 13 declaratur, notionem πίστεως non solum habitum illum moralem sive virtutem christianorum continere, sed etiam initium ejus, actionem videlicet transgrediendi ad illum habitum. Ad ea enim, quae v. 8 de gloria et laude πίστεως Thessalonicensium dicuntur, additur v. 9. vocabulo γάρ conjuncta cum antecedentibus descriptio actionis transgrediendi, ejusdem quae jam v. 6. descripta est, ut appareat, fidem non solum esse virtutem ipsam, sed etiam initium ejus: actionem assumendi evangelii sive — mutua est connexio — tradendi se ad evangelium, siquidem cum dativo conjungitur πιστεῦσαι II, 2, 11. 12. Aliud vero discrimen inter has duas partes notionis fidei non est quam inter πιστεῦσαι et πιστεύειν, incipere et pergere.

Potest aliquis etiam alias res assumere seque iis tradere, velut τῷ ψεύδει II, 2, 11. Ejusmodi fides ea non est, quam apostolus laudat. Non igitur actio assumendi evangelii idcirco laudatur, quia omnino aliquid assumitur: non forma fidei laudibus effertur. Atque ne propter magnitudinem quidem vel magnam agendi vim, tanquam heroum [1]) sit actio; quomodo enim hoc existimari potest, quum etiam οἱ πιστεύοντες in agendo non perfecti sint, sed opus eis sit, ut apostolus eos adhortetur, I, 4, 1, ut ipsi inter se adhortentur I, 4, 9, ut crescant semper, I, 4, 10 al., ut Deus ipse eos confirmet I, 3, 13 cf. 2, siquidem ὑστερήματα τῆς πίστεως notantur I, 3, 10? Quamvis hi gradus et defectus fidei cum ipso habitu illo morali conjuncti sint, tamen indicant, ne initium quidem ejus habitus quod ad formam et gradum attinet agendi perfectum esse.

Immo laudatur fidei actio propter id in quod se dirigit, vel ut solemus dicere propter objectum actionis. Est enim ἡ πίστις πρὸς τὸν θεόν I, 1, 8: erga Deum se dirigit, quod idem accuratius exponitur v. 9. 10; convertisse se dicuntur Thessalonicenses ad Deum ab idolis eo consilio ut serviant Deo viventi et vero et ut exspectent filium ejus e coelis. Ἐπιστρέψαι est actio una et simplex, sive eadem sive artissime conjuncta cum ea quam supra invenimus dici

---

[1]) Velut *Immer, Theologie des Neuen Testamentes, 1877, p. 287* eam fidem, quae I. Cor. 13 describitur, „*Glaubensheroismus*“ apte designat.

δέξασθαι et πιστεῦσαι, ejusmodi vero actio, qua homo se totum in aliam dirigit viam, in Deum scilicet versus verum et vivum; ubi enim se homo in Deum convertit, hoc apud se constituit, ut serviat (δουλεύειν) Deo et exspectet (ἀναμένειν) ejus filium. De ea ergo agitur fide, qua in Deum se convertit homo patrem Jesu Christi, cf. I, 2, 13. Fides christiana habet veritatem; fides gentium si quae videtur esse, errori se tradit I, 4, 5.

Eadem autem actio fidei appellatur II, 1, 8 cf. 3, 14 ὑπακούειν τῷ εὐαγγελίῳ. Fides igitur est oboedientia; in eo constat actio convertendi se ad Deum, ut apud se aliquis constituat, Deo servire v. 9, accipiendo scilicet evangelio, verbo Dei. Non enim est is Deus, cui oportet servire, abstractum ens absolutum, sed is, qui filium misit, ut nobis salutem afferret II, 2, 13; I, 1, 10; non ad Deum quemlibet homo fidelis se convertit, sed ad Deum summum I, 1, 9 cf. II, 2, 4, sanctissimum — de peccato enim iratus est — I, 1, 10 cf. 4, 6, benignissimum I, 5, 23; II, 1, 12; neque majestatem ejus vel aseitatem abstracte cognoscit, *„schlechthiniges Abhaengigkeitsgefühl“* habens, sed inest fidei notio conjunctionis II, 1, 12. Denique homo fide accipiens evangelium ei tanquam vero Deo oboedit et ad eum se convertit, qui nobis χάριν et εἰρήνην I, 1, 1 vult dare, ad eum filium Dei, qui est ῥυόμενος ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης I, 1, 10.

Quid? Vultne apostolus, nos offerre illud *sacrifizio dell' intelletto*, quod Pontificii postulant, postulatne ut oboediamus omnino cuilibet in qualibet re, etiamsi ne sciamus quidem cur et quomodo oboediendum sit? Minime postulat. Immo jam supra diximus, non formam fidei laudare apostolum sed materiem sive objectum, ita ne oboediendi quidem formam. Vult Paulus certas et optimas causas homines habere oboediendi Deo. [1]) Ipse enim I, 1, 9 Deum cui fides debetur ex sua ipsius sententia et certitudine (I, 1, 5; 4, 14) dicit vivum et verum; opus igitur est, ut non solum Deus verus sit per se, sed etiam nobis persuasissimum sit, verum eum esse. Ea ipsa ex causa tot et tantas tamque fervidas scripsit epistolas atque per totam vitam migravit et praedicavit, ut multos certiores faciat de veritate evangelii. Quod idem perspicitur ex eo quod II, 2, 10. 12. 13

[1]) De experientia et cognitione velut fundamentis certitudinis (vel objectis et causis fidei) praeclare agit *Frank, l. c. § 10. 14.* Cf. etiam *v. Oettingen*, *Antiultramontana*, 1876, p. 55 ss.

dicit de veritatis amore: persuasum Paulo fuit, evangelium esse veritatem κατ' ἐξοχήν, cf. etiam II, 2, 2: μὴ σαλευθῆναι ἀπὸ τοῦ νοός· quod si quis evangelium reprobet, veritatem vel verum Deum cum contemnere; quare si quis naturalem quendam habeat amorem veritatis II, 2, 10 (cf. *Lünemann*), eum Deum verum non posse reprobare, in convertendo enim ad Deum homo se convertit ad veritatem (ib. v. 14 πίστις ἀληθείας). Soli autem et vero Deo non potest placere, qui eum contemnit. Contra si is Deus, quem praedicabat, verus et vivus non esset, neque re vera factum esset, quod nuntiabat, non Deo, sed idolis I, 1, 9 crederent οἱ πιστεύοντες, neque fides digna esset quae laudaretur. Videmus igitur, Paulum sentire cognitionem quandam et experientiam Dei antecedentem fidei; solum is qui Deum vere cognovit, fide in eum se convertere potest. Qualis vero haec experientia fuerit, intelligitur ex eo, quod in sua ipsius conversione nolens Christum cognoverat vivere. [1])

Jam intelligitur, cur actio convertendi se ad Deum dicatur formam habere oboedientiae. Qui credit, cognovit veritatem divinam seque ei subdit, quamvis in evangelio multa sint, quae non intelligat, et multa quae malit rejicere, quum in evangelio omnis homini detrahatur honos, ut soli Deo tribuatur.

Quomodo vero omnino aliquis certior fiat de veritate christiana, si causas internas et motus internos respicimus, his duabus epistolis non explicatur. Hoc Paulo sufficit, convinci homines, sicut ipse convictus erat. Externas vero causas πληροφορίας, divinas quidem et miraculosas, satis explicat; Deum enim se ipsum revelavisse dicit per filium suum I, 1, 10, singulis vero hominibus verbo suo et evangelio I, 1, 5. 6; 2, 3; 3, 2; II, 3, 1; quod si quis rejiciat, Deum illum reprobare I, 2, 13; 4, 8; unde dicitur Deus ὁ καλῶν I, 2, 12; II, 2, 14. Sed etiam post vocationem adest Deus fidelibus confirmans eos I, 3, 12; 5, 23; II, 2, 17; 3, 5.

Agitur vero in evangelio illo sive verbo divino de Deo, de filio Dei, de resurrectione ejus et fidelium I, 4, 13 ss., de ira Dei et judicio, de peccato et pernicie hominum I, 2, 16; II, 2, de voluntate Dei I, 4, 3, de salute II, 2, 13 s., de aliis rebus. Animadvertatur, quomodo in ipsa simplici actione credendi magnus numerus rerum

---

[1]) Quare certe *Schulzii* (l. c. p. 107) et *Rückertii* (*Theologie, II. 1851, p. 263: das Ergreifen des idealen Lebens*) definitiones cum Paulina non congruunt.

credendarum inclusus sit apud Paulum apostolum. Qui ad verum Deum Christi patrem se converterit, quum accipiat evangelium quod est de Jesu Christo quem suscitaverit Deus e mortuis (I, 1 10), non poterit non agnoscere, se peccavisse, Dei iram commovisse, Dei gratia egere. Jure Paulus oboedientiae nomen fidei dat: nihil honoris homo fidelis sibi attribuit, omnem honorem Deo.

Porro intelligitur, ex uno et summo objecto fidei alia explicari objecta. Primum et summum objectum est Deus ipse; accedit vero filius ejus, dominus Jesus Christus I, 1, 10; 3, 13; II, 1, 8, et Spiritus Sanctus I, 1, 5. 7; 4, 8. Aliud objectum est evangelium sive verbum Dei, alia objecta singulae propositiones sive dogmata, I, 1, 10; 4, 14; 5, 2; 4, 13 ss. Quae quum ita sint, apparet, Paulum velle, fidem immediatam et centralem, quae attineat ad Deum, τὸ δέξασθαι scilicet et τὸ ὑπακούειν, probari singulis propositionibus accipiendis. Animadverti etiam potest, esse discrimina singularum rerum, si certitudinem et pondus respiciamus; sunt enim aliae propositiones, quibus utitur Paulus tanquam firmissimo fidei fundamento, velut ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη, alia quae inde concluduntur nondum satis nota iis quibus epistola mittitur, cf. eodem loco I, 4, 15. Tamen ne haec quidem leviter tractantur.

Omnes vero hominis vires corripiuntur fide; totus enim animus vel καρδία afficitur II, 2, 17; 3, 5. Atque si recte diximus, fidem esse actionem assumendi verbi divini, principaliter fides est actio voluntatis humanae; neque ὑπακούειν aliquis potest nisi voluntate. Voluntas vero non potest sola operari; immo si veritatem fides sibi assumit II, 2, 13, non potest nisi intelligendo. Ne propositiones quidem illae supra allatae accipi possunt nisi sentiendo et intelligendo, unde invenitur particula ὅτι cum πιστεύειν conjuncta I, 4, 14; 5, 2. Tamen ne haec intelligendi quidem actio sine voluntate fieri potest; adhortatur enim Paulus lectores, μὴ σαλευθῆναι ἀπὸ τοῦ νοός κ. τ. λ. II, 2, 2 ss., adhortando vero voluntas incitatur.

Quae quum ita sint, libertas[1]) quaedam voluntatis humanae negari non potest, ut fides sit actio hominis liberi vel a Deo liberati. Quod quamquam non directe quidem ex eo sequitur, quod

---

[1]) *Krumm*, De notionibus psychologicis Paulinis, Gissae 1858, p. 57: De hac libertate, quae formalis dicitur, Paulus nusquam copiosius disputat, attamen eam esse ponit cet. —

II, 3, 2 [1]) notatur, non omnium hominum fidem esse, tamen apparet, causam hujus rei altera ex parte electionem esse divinam I, 1, 4, altera vero ex parte hominis ipsius consultum et arbitrium. Non enim laudaret apostolus Thessalonicenses I, 1, 2 ss. cf. I, 2, 19 ss; II, 1, 4, non tanto studio et ardore praedicaret epistolasque scriberet I, 1, 4 ss. 2, 16. 17 ss., si absolute praedestinatos eos putaret. Inest libertas quaedam in fide, unde evenit, ut etiam diversi gradus fidei, et ὑστερήματα I, 3, 10, et necessitas adhortandi I, 3, 2 commemorentur, et dicatur, posse hominem non credendo Deum ἀθετεῖν I, 4, 8, et posse laborem praedicandi εἰς κενὸν γενέσθαι I, 3, 5. Tamen etiam alteram partem describit Paulus, hominem in ipsa fide dependere a directione et dominatione Dei II, 2, 10 s. et a precibus fratrum II, 3, 11. [2]) Ἀντινομίαν [3]) proposuit Paulus in his epistolis; utrum sentiat, non dicit; solvere certe non conatur, nulla data occasione.

Paucis denique disseramus, quid his epistolis Paulus de moribus christianorum dicat. Si enim πίστις actio quaedam est et agendo probatur, in descriptione morum christianorum ipsa fides describetur. Inspiciamus igitur illud ἔργον τῆς πίστεως! Obligati sunt christiani ad castitatem et sanctitatem vocatione Dei et dono Spiritus Sancti I, 4, 7. 8; 5, 9 cf. II, 2, 13, vel Dei gratia, II, 1, 12. Inde videmus, Dei opera, Dei benignitatem causam esse operis humani Deumque donavisse aliquid homini, quod homo debeat tenere. Vult enim Deus ἐνδοξασθῆναι et θαυμασθῆναι ultima die in fidelibus II, 1, 10, atque etiam nunc nomen Dei debet glorificari in nobis II, 1, 12. Sunt enim fideles et vivunt in Deo I, 1, 1; II, 1, 1, velut Deus in ipsis I, 4, 8, sunt θεοδίδακτοι I, 4, 9, velut ecclesiae christianae ecclesiae Dei II, 1, 4, non sunt filii tenebrarum, sed lucis I, 5, 4 ss.; Deus ipse eos totos sanctificat I, 5, 23. Inde vero non concluditur, securos eos esse posse, sed obligatos. Habet sane ἐξουσίαν quandam apostolus II, 3, 9, sed est etiam christianis ἔργον ἀγαθόν faciendum et λόγος ἀγαθός dicendus II, 2, 17, est ἄξιον quoddam II, 1, 3, est δεῖν I, 4, 1, est θέλημα θεοῦ, scilicet ἁγιασμός, ibid. v. 3., sunt παραγγελίαι, I, 4, 2; II, 3, 12 et

---

[1]) His verbis multo magis absens hominum plurimorum actio (*Calvinus*), quam electio fidelium (*Weiss p. 211*) expressa esse mihi videtur. — [2]) Cf. *Krumm l. c. p. 58.* — [3]) Quamobrem me certe Paulum non vituperare, sicut *Pfleiderer* videtur (*Paulinismus p. 79*, cf. *Frickii* adnotationem l. c. p. 6), infra cognoscetur.

παραδόσεις II, 2, 15; 3, 6 observandae. Debent christiani imitatores fieri apostoli et Domini I, 1, 6; II, 3, 7. 9, debent Deo servire I, 1, 9, περιπατεῖν ἀξίως τοῦ Θεοῦ τοῦ καλοῦντος I, 2 12, stare in Domino I, 3, 8, ἄμεμπτοι esse, ib. 13, placere Deo et uberiores etiam fieri I, 4, 1. 10 cf. 2, 15; debent abstinere a scortis et avaritia I, 4, 3 ss. Multa alia praecepta addit Paulus generalia et specialia, cf. I, 4, 3. 11. 12; 5, 6 ss; II, 3, 13. In omnibus vero his praeceptis et generalibus et specialibus semper invenitur notio illa fidei. Omnia enim praescribit apostolus eo consilio, ut donis divinis tenendis Deo placeant. Numquam legem objicit, numquam imperat, semper adhortatur vel precatur, numquam legibus implendis salutem vult lectores sibi comparare. Immo Iudaeos dicit Deo non placere I, 2, 15. Παραδόσεις et παραγγελίας tanquam pro regulis solum habet in implenda voluntate Dei I, 3, 4; 5, 18, quae vero non implenda est ut accipiamus summa bona, sed quae impleri potest, quoniam accepimus tot et tanta bona! Accepistis; ergo teneatis et praebeatis: his verbis sententia Pauli exprimi potest. [1]) Nunquam vero omnino de lege Mosaica quidquam praescribit, ne de decalogo quidem! Unam habet voluntatem Dei: Deo ut serviamus; altera vero accedit in illa conclusa: ut proximos amemus, quia Deus vult, tanquam fratres I, 4, 9; 5, 11 ss. Omnes singulae regulae ex hac una effluunt; tamen quoniam cum christianis imperitis et imperfectis Paulo res est, singulas res postulat, sed dicens: αὐτοὶ Θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους I, 4, 9, et ipsos adhortatur ad τὸ δοκιμάζειν I, 5, 21. Postulat ut bonus paedagogus, non ut legislator: vere αὐτόνομος videtur esse voluntas christianorum; Θεόνομος enim facta est. En hoc est ἔργον πίστεως I, 1, 3; II, 1, 11.

Πίστις vero ipsa de qua in epistolis ad Thessalonicenses missis agitur clarissime ex his regulis perspicitur esse is habitus Deo acceptus moralis christianorum, quo volunt oboedire et servire soli vero Deo patri Jesu Christi per quem salutem nobis praebeat, tenenda scilicet gratia ab eo accepta; quem habitum vidimus non ex hominum ipsorum esse viribus, sed Spiritus Sancti. Id vero ex quo hic habitus incipit, quod ad hominis actionem attinet, et ipsum ad fidem pertinet et fides appellari debet, actio scilicet sibi assumendi verbi Dei quod de Jesu Christo est. Quodsi conjungemus, quoniam habitus

[1]) *Weiss p. 213* postulata evangelii bene concludit verbis: *„Bewahrung der Gottgeweihtheit.“*

ipse est actio quaedam per longum tempus continuata, intelligetur, fidem omnino esse actionem quandam hominis [1]) ab uno temporis momento incipientem et per totam vitam pergentem, qua Dei gratiam in Jesu Christo oblatam assumat et in Deum solum se totum dirigat, non ex suis ipsius viribus, sed Spiritus Sancti. Assumere enim et in Deum se dirigere uno temporis momento fit, sed postea id quod assumptum est tenendo semper denuo assumitur, et is in quem se direxit homo quum non declinet semper is est in quem se denuo dirigit.

II.

Secundo quaeritur, num in epistolis ad **Galatas Corinthios Romanos** scriptis rebus temporibusque mutatis notio fidei Paulina fortasse permutata aut plane alia facta sit. Quamvis enim quod inter has et illas epistolas interest intervallum trium vel quinque annorum non magnum videatur esse, tamen rixae ortae sunt maximae et vehementissimae, quibus fortasse Paulus commotus notionem fidei commutavit. Quid? Rectene judicant, qui Paulum illas epistolas nolunt scripsisse?

Multum sane interest inter haec duo genera epistolarum, quod ad consilium attinet, quo scriptae sunt epistolae. Illic is qui scripsit Thessalonicensibus de vita christianorum, de fide et spe et caritate, denique de fide probanda regulas quasdam mittit, hic de fide longa expositione dogmatice disputatur. Sed Paulum non potuisse illo modo interdum scribere, ex mea opinione dijudicantium more negare non licet.

---

[1]) Liceat jam hoc loco nonnullos afferre testes. *Weiss* (l. c. p. 212) de Thessalonicensibus epistolis scribens dicit: *„Daher kann der Glaube auch betrachtet werden als die erste und nothwendigste Leistung."* Simili modo, quo ego scripsi de actione credendi, *Zöckler* De vi ac notione vocabuli ἐλπίς (Gissae 1856), p. 25 cf. 88 s. describit „actum" sperandi, spiritualem scilicet. Cf., quomodo *Luthardt* v. d. in dissertatione cui inscribitur: ἔργον τοῦ θεοῦ und πίστις *(Theol. Stud. u. Krit. 1852, p. 333 ss.)* et in commentario de evangelio Joannis, ed. II., tom. I., p. 495 s. ex Joanne, praesertim 6, 29, eandem explicet fidei notionem: *„das dem göttlichen Liebesverhalten entsprechende Liebesverhalten des Menschen"*, sicut etiam *Meyer* ad 6, 29: *„das Werk (die sittliche That) des Glaubens."* Cf. Calvinum ad II. Thess. 1, 11.

Discimus autem ex primis capitibus epistolae ad Galatas scriptae, quomodo res mutatae fuerint. Dicit enim Paulus Gal. 1, 6 s., mirari se, quod cito transpositi sint ab eo, qui eos vocaverit (cf. I. Thess. 2, 12) per gratiam Christi, in aliud evangelium, quod evangelium non sit. Venisse enim falsos fratres circumcisionem volentes gentibus injungere 2, 3 s., sine qua quidem nemo possit salutem habere; ea enim accipi homines in populum Dei et conjungi cum Deo, oboedientiam probantes et promittentes legi Mosaicae 2, 16 cf. 4, 21; 5, 1. Fuerunt igitur, qui vehementissime Paulum objurgarent, quod legem Mosaicam gentibus non traderet implendam; ea vero non impleta neque justitiam esse neque salutem hominibus.

Quibus objectionibus commotus Paulus omnibus viribus animi summaque tentatione et oratione hanc quaestionem in medium protulit epistolarum suarum, qua tandem re homo christianus salutem adipiscatur [1]). Neque dubitare potuit, quin non operibus legis, sed sola fide adipiscatur cf. Gal. 2. 3; frustra enim ipse operibus legis, Mosaicae scilicet, operam dederat, ut salutem obtineret, sed non obtinuisse se hacce via justitiam postea cognovit; immo certissimus factus, se in Christo justitiam et salutem habere, idem certus erat, eam se habere sola fide. Quamobrem fidei notionem accuratissime illo tempore tractavit ut „articulum principalem.“ Cf. Rom. 1, 16. 17; 3, 28; 10, 4—10. al. (et Eph. 2, 8—10).

Quodsi eam quam tum habebat fidei notionem indagamus, initium faciendum est ab eo, quod fidem et opera legis in justitia obtinenda invicem opponit. Est igitur fides et sunt opera legis duae res, quas ad justitiam adducere aut hominibus existimare licet aut certe homines existimant; de operibus legis falsa, de fide vera, de operibus plurimorum Judaeorum, de fide paucorum hominum, videlicet christianorum, sunt ejusmodi cogitata. Quamquam igitur fides opponitur operibus legis, tamen cognatio quaedam aderit inter has duas notiones, ut misceri facile possint. Num forte ad numerum actionum pertinet ipsa fides, velut sine dubio pertinent opera legis? Utitur Paulus non iisdem particulis in adhibendis vocabulis ἔργων et πίστεως, ubi primo rem profert; immo dicit Gal. 2, 16 non justum

---

[1]) *Zöckler* l. c. p. 83 scribit: Immo id potius casui et occasioni adscribendum puto, quod fidem tantopere pressit etc. *Hofmann, Schriftbeweis II, p. 608. Ritschl, Rechtfertigung II, p. 300 s.*

fieri hominem ἐξ ἔργων νόμου, quin omnino non justum fieri nisi δια πίστεως Jesu Christi, unde intelligitur, putavisse adversarios et protulisse, opera legis quasi aut fontem aut materiem justitiae esse; quod negat Paulus: neque fontem neque materiam omnino esse justitiae nostrae nisi Dei gratiam; sed ne instrumentum quidem (διά) obtinendae justitiae esse opera; solum ejusmodi instrumentum esse fidem, unde adhibetur διά cf. 3, 14. Quid vero Paulum movet, ut talia pronuntiet, atque quid proferet, ubi adversarii ex eo quaerent, cur rem ita se habere dicat? Non profert tanquam solam vel primam causam versum illum Scripturae Sacrae διότι „ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ", quem ne inventum quidem esse in Vetere Testamento non urgeo: sicut omnibus locis, ne hoc quidem Paulus satis se fecisse putat, si enuntiata Scripturae Sacrae attulerit [1]); secundo dumtaxat loco affert summa certe fiducia, ita vero, ut primum retineat locum ratiocinationi animi sui ipsius fidelis. Εἰδότες enim primo dicit, διότι scilicet γέγραπται secundo loco. Non vero alia erit hoc loco ratiocinatio, quam haec: sicut fideles ipsi experti sint (sciant, cf. supra pag. 7), se justos non factos esse suis ipsorum operibus, ita omnino neque fieri neque cogitari posse, hominem injustum unquam tot et talia opera justa, quin ullum tale opus proferre, ut justus fiat, velut Christus dixerat, non posse arborem malam non malos fructus proferre. Nunquam ex singulis operibus legis tanquam ex materia justitiam ipsam habitualem vel essentialem componi posse nemo est qui neget, nedum christiani quibus epistola missa est [2]).

Jam intelligitur, quid fides non sit: non est in numero operum singulorum legis; non est fides ejusmodi opus, quo quis velit justitiam propriam sibi ipse efficere. Contra solum et verum instrumentum est, quo justitia obtinetur. Tamen non solum particula διά utitur Paulus, sed etiam paulo post eodem versu Gal. 2, 16 vocabulo ἐξ, ut etiam fontem justitiae fidem quodammodo appellari posse confiteatur. Quodsi actionem illam humanam fortasse in animo habuit quam supra posuimus, sine dubio ita dicere apostolo licuit; si enim fides actio est assumendi Dei, dici potest et id, quo (διά) homo assumat justi-

---

[1]) Quod quidem *Immer* videtur existimare l. c. p. 251 ss. *Fricke* vero v. d. l. l. p. 7: *„Der blosse Schriftbeweis ersetzt bei P. niemals den inneren, den aus der Sache selbst dialectisch entnommenen und gegebenen Beweis."* — [2]) Cf. Krummii dissertationem supra laudatam, praesertim p. 27 s. Nimis vero morbum spiritualem hominis premit, non satis dicit, injustum hominem esse.

tiam, velut agendo aliquem obtinere aliquid dicimus, et fons, siquidem per illam solam actionem justitia in hominem effluit quamvis in ipsa fide non orta sit, sicut ne aqua quidem in fonte oritur, sed ex fonte hominibus effluit; non igitur negatur, ultimam causam esse Dei gratiam. Accedit quod apostolus eodem versu dissertis utitur verbis: καὶ ἡμεῖς ἐπιστεύσαμεν, ἵνα δικαιωθῶμεν κτλ. Quid hoc sibi vult, nisi nos et ipsos τὸ πιστεύειν una quadam actione incepisse, eo consilio ut justi fieremus? Num potuisset in τῷ πιστεῦσαι aliquis consilium habuisse, nisi ipse in agendo fuisset? Atque si versu 17. christiani describuntur ζητοῦντες δικαιωθῆναι ἐν Χριστῷ, quum alio loco οἱ πιστεύοντες appellentur, quid hoc sibi vult, nisi in credendo esse ζητεῖν quoddam, πιστεύειν igitur esse actionem quandam volentium [1])?

Ut melius rem cognoscamus, opus est quaerere, quid sit lex, quid sint opera legis, quid sit justitia e sententia Pauli apostoli.

Legem quidem Mosaicam intelligit apostolus [2]). Hoc ex tertio et quarto capite epistolae ad Galatas cf. Rom. 2, 17 ss. satis perspicitur. Quamvis civis Romanus leges rei publicae non potuerit non cognitas habere, tamen ὁ νόμος sive νόμος sensu legis κατ' ἐξοχήν homini Israelitae sola Mosaica lex fuit, quoniam illae leges ad veram religionem omnino non pertinebant, ut, si de religione disserebatur ne conjungi quidem cum Mosaica possent. Contra satis constat, Mosaicam legem Pharisaeos — Paulus ipse homo Pharisaeus fuerat atque cum Pharisaeis ei lis erat! — et plurimos ceteros Iudaeos solum fontem salutis et normam totius religionis censuisse, quod quidem ex *Schuereri* libro cui inscribitur „*Neutestamentliche Zeitgeschichte*" et ex aliis ejusmodi libris bene intelligi potest. Ubicunque igitur de lege Paulus apostolus dicit, nisi ipse aliud aliquid indicat, semper legem Mosaicam sentit, de qua quidem sine dubio non tam multa scripsisset neque praedicavisset, nisi Iudaei se ei opposuissent. Unde evenit, ut notio legis, ut omnino epistolae Paulinae majores a paucis civium

---

[1]) Quomodo vero volentes fiant, infra explicabitur. — [2]) *Pfleiderer*, l. c. p. 69. *Immer*, l. c. p. 277, recte adjungens: *und zwar ohne Unterscheidung des Ceremonial- und Sittengesetzes.* Quod si *F. C. Baur* (cf. Paulus, ed. II, t. 2, p. 208 ss.; Neut. Theol. p. 149 ss.) accuratius observavisset, fortasse bellum illud Paulino-Jacobeum non tantum tamque vehemens fuisse contendisset. Baurio vero in notione legis intelligenda consentit *Neander (Gesch. der Pflanzung, 1862, p. 505).*

nostrorum recte intelligantur. Frigida iis solet esse notio legis, q sub lege non fuerunt, nisi forte, velut Lutherus, Judaeis simil aut ab aliis sub legem ducti sunt aut ipsos se ei subjunxerunt. Sunt quidem certi quidam loci, quibus apostolus alia legis notio videtur uti, ita vero, ut appareat, vocem legis ibi sensu tropic non proprio, adhiberi, ut iis ipsis locis confirmetur, vocem νόμο apud Paulum sensu proprio notionem concretam legis Mosaicae, sens tropico tantummodo aliorum quorumlibet constitutorum vel legis abstractae notionem habere. Sed negligi non debet, praeter legem Mosaicam nullam aliam legem in religione respici potuisse; inde factum est, ut lege Mosaica exclusa omnes aliae leges, quae fortasse proferri possunt, exclusae sint.

De hac lege duplici modo scribit. Queritur primo de δουλεία legis Gal. 4; 5, 1; explicat, eam multo post ἐπαγγελίαν venisse (προσετέθη 3, 19) neque eam posse ἀκυροῦν Gal. 3, 17 ss., ad στοιχεῖα τοῦ κόσμου adnumerat, cum Agar serva comparat, quam ἐκβαλεῖν oporteat Gal. 4; se et alios apostolos eam dissolvisse, se ipsum certe ei mortuum esse Gal. 2, cf. Rom. 3. 4. 6; I. Cor. 9, 20; II. Cor. 3. Talia apud eum legentibus in memoria nobis tenendum est, eum impugnare doctrinam pharisaicam eorum, qui ex lege volebant hominibus exoriri justitiam. Hoc negat, non omnino legem tollit, Rom. 3, 31, sed eam quam adversarii ei tribuebant vim praebendae justitiae et potestatem imperandi hominibus tanquam servis. Legi illi vivebant velut Deo Gal. 2, 19; in legem tota eorum voluntas se dirigebat ὑπὸ νόμον θελόντων εἶναι 4, 21; quamquam ipsi eam non implebant 6, 13, tamen tantopere eam efferebant ut Christum nollent agnoscere et crux ejus σκάνδαλον iis esset 5, 11; Rom. 9, 32. Itaque εἰδωλολατρεία quaedam legalis inter Judaeos erat, atque ab iis ecclesias christianas invadebat, ut τὸ περιτέμνεσθαι res confessionis fieret; si enim aliquis circumcidebatur, Christum solum justum se non reddere, sed etiam lege opus esse confitebatur Gal. 2, 21, quamobrem Paulus 5, 2 Christum iis nihil dicit prodesse, qui circumcidantur. Deum vero unum esse 3, 20, fieri non posse,

---

[1]) Liceat afferre enuntiatum Hamanni, quod legitur in *Delitzschii „Saat auf Hoffnung," 1874, p. 209: „Die Sprache an den heiligen Stätten der Christen wird immer verrathen, dass sie heidnische Zweige sind, gegen die Natur auf einen jüdischen Zweig gepfropft; je erbaulicher der Redner sein wird, je mehr wird uns sein galiläisches Schibboleth in die Ohren fallen."*

ut e lege tanquam e fonte quodam qui sit extra Deum justitia et vita veniat 3, 22; 2, 16; Rom. 3, 20; immo velle eum, ut appareat lege, nullum hominem quidquam posse vel valere coram Deo, Gal. 3, 22; Rom. 3, 19 cf. 4; II. Cor. 3, 5., sicut etiam foedus illud ἐπαγγελίας non ictum sit cum hominibus, sed datum iis sit a Deo Gal. 3, 15 ss. Deus igitur sibi soli omnem honorem vult retinere, non dare legi, non hominibus, ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σάρξ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ I. Cor. 1, 29. 31. et seq. Illi vero in eo erant ut relativo cuidam bono locum summi boni darent. [1])

Tamen non negat Paulus, legem bonam esse atque divinam, Rom. 7. Est discrimen aliquod inter Iudaeos et gentes: gentes sunt ἁμαρτωλοί Gal. 2, 15. 17; Iudaeis igitur meliores dantur mores propter illam legem. Nam τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου πολὺ κατὰ πάντα τρόπον, Rom. 3, 1. 2, quum propter alias res tum propter νομοθεσίαν 9, 4, qua re ipsi de lege gloriabantur 2, 17 s. Justi vero Judaei propter legem non sunt 3, 9 s. Non est fons, sed adminiculum tantummodo justitiae, duplici modo eam praeparans; ad coercendas enim transgressiones apposita est lex promissioni Gal. 3, 19 cf. 5, 23 et ad augenda παραπτώματα παρεισῆλθεν Rom. 5, 20 cf. 4, 15; 7, 7; I. Cor. 15, 56; sive ob illam causam sive etiam ob alteram παιδαγωγός factus est ὁ νόμος in Christum Gal. 3, 24 s; [2]) non est contrarie opposita lex promissionibus divinis, ib. 21, sed indirecte iis implendis viam praeparans v. 22 ss. Νήπιοι erant Judaei, quum sub lege essent et tanquam δοῦλοι Gal. 4; itaque non perfecto quidem hominum statui, sed praeparationis tempori certe respondebat. Deinde vero opus fuit eos qui sub lege erant a lege redimi, Gal. 4, 5., quod fieri non potuit nisi ipso Dei filio legi subjuncto ib. v. 4. Facile intelligitur, redemtione opus fuisse eodem modo, quo virum opus est a paedagogo solvi; si enim paedagogus aliquis hominem adultum in oboedientia externa vellet continere, paedagogus ipse obstaculo perfecto statui disciplui esset, qua re dicitur Gal. 4, 5., debuisse Judaeos liberari, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν omnes. Ut paedagogum autem Paulus ipse τὸν νόμον magni aestimavit; legem scriptam, quinque scilicet Mosis libros, saepenumero testes fecit eorum quae lectoribus christianis explicavit, velut I. Cor. 9, 9. 13; 10, 1—11 (ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν

[1]) Cf. *Frank*, l. c. § 21. 28. — [2]) Ad τῶν παραβάσεων χάριν et παιδαγωγός cf. *Usteri*, l. c. p. 66—69 et *Fricke* l. c. p. 31—39.

nostrorum recte intelligantur. Frigida iis solet esse notio legis, qui sub lege non fuerunt, nisi forte, velut Lutherus, Judaeis similes aut ab aliis sub legem ducti sunt aut ipsos se ei subjunxerunt. [1]) Sunt quidem certi quidam loci, quibus apostolus alia legis notione videtur uti, ita vero, ut appareat, vocem legis ibi sensu tropico, non proprio, adhiberi, ut iis ipsis locis confirmetur, vocem νόμου apud Paulum sensu proprio notionem concretam legis Mosaicae, sensu tropico tantummodo aliorum quorumlibet constitutorum vel legis abstractae notionem habere. Sed negligi non debet, praeter legem Mosaicam mullam aliam legem in religione respici potuisse; inde factum est, ut lege Mosaica exclusa omnes aliae leges, quae fortasse proferri possunt, exclusae sint.

De hac lege duplici modo scribit. Queritur primo de δουλείᾳ legis Gal. 4; 5, 1; explicat, eam multo post ἐπαγγελίαν venisse (προσετέθη 3, 19) neque eam posse ἀκυροῦν Gal. 3, 17 ss., ad στοιχεῖα τοῦ κόσμου adnumerat, cum Agar serva comparat, quam ἐκβαλεῖν oporteat Gal. 4; se et alios apostolos eam dissolvisse, se ipsum certe ei mortuum esse Gal. 2, cf. Rom. 3. 4. 6; I. Cor. 9, 20; II. Cor. 3. Talia apud eum legentibus in memoria nobis tenendum est, eum impugnare doctrinam pharisaicam eorum, qui ex lege volebant hominibus exoriri justitiam. Hoc negat, non omnino legem tollit, Rom. 3, 31, sed eam quam adversarii ei tribuebant vim praebendae justitiae et potestatem imperandi hominibus tanquam servis. Legi illi vivebant velut Deo Gal. 2, 19; in legem tota eorum voluntas se dirigebat ὑπὸ νόμον θελόντων εἶναι 4, 21; quamquam ipsi eam non implebant 6, 13, tamen tantopere eam efferebant ut Christum nollent agnoscere et crux ejus σκάνδαλον iis esset 5, 11; Rom. 9, 32. Itaque εἰδωλολατρεία quaedam legalis inter Judaeos erat, atque ab iis ecclesias christianas invadebat, ut τὸ περιτέμνεσθαι res confessionis fieret; si enim aliquis circumcidebatur, Christum solum justum se non reddere, sed etiam lege opus esse confitebatur Gal. 2, 21, quamobrem Paulus 5, 2 Christum iis nihil dicit prodesse, qui circumcidantur. Deum vero unum esse 3, 20, fieri non posse,

[1]) Liceat afferre enuntiatum Hamanni, quod legitur in *Delitzschii „Saat auf Hoffnung,“ 1874, p. 209: „Die Sprache an den heiligen Stätten der Christen wird immer verrathen, dass sie heidnische Zweige sind, gegen die Natur auf einen jüdischen Zweig gepfropft; je erbaulicher der Redner sein wird, je mehr wird uns sein galiläisches Schibboleth in die Ohren fallen.“*

ut e lege tanquam e fonte quodam qui sit extra Deum justitia et vita veniat 3, 22; 2, 16; Rom. 3, 20; immo velle eum, ut appareat lege, nullum hominem quidquam posse vel valere coram Deo, Gal. 3, 22; Rom. 3, 19 cf. 4; II. Cor. 3, 5., sicut etiam foedus illud ἐπαγγελίας non ictum sit cum hominibus, sed datum iis sit a Deo Gal. 3, 15 ss. Deus igitur sibi soli omnem honorem vult retinere, non dare legi, non hominibus, ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σάρξ ἐνώπιον τοῦ ϑεοῦ I. Cor. 1, 29. 31. et seq. Illi vero in eo erant ut relativo cuidam bono locum summi boni darent. [1])

Tamen non negat Paulus, legem bonam esse atque divinam, Rom. 7. Est discrimen aliquod inter Iudaeos et gentes: gentes sunt ἁμαρτωλοί Gal. 2, 15. 17; Iudaeis igitur meliores dantur mores propter illam legem. Nam τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου πολὺ κατὰ πάντα τρόπον, Rom. 3, 1. 2, quum propter alias res tum propter νομοϑεσίαν 9, 4, qua re ipsi de lege gloriabantur 2, 17 s. Justi vero Judaei propter legem non sunt 3, 9 s. Non est fons, sed adminiculum tantummodo justitiae, duplici modo eam praeparans; ad coercendas enim transgressiones apposita est lex promissioni Gal. 3, 19 cf. 5, 23 et ad augenda παραπτώματα παρεισῆλϑεν Rom. 5, 20 cf. 4, 15; 7, 7; I. Cor. 15, 56; sive ob illam causam sive etiam ob alteram παιδαγωγός factus est ὁ νόμος in Christum Gal. 3, 24 s; [2]) non est contrarie opposita lex promissionibus divinis, ib. 21, sed indirecte iis implendis viam praeparans v. 22 ss. Νήπιοι erant Judaei, quum sub lege essent et tanquam δοῦλοι Gal. 4; itaque non perfecto quidem hominum statui, sed praeparationis tempori certe respondebat. Deinde vero opus fuit eos qui sub lege erant a lege redimi, Gal. 4, 5., quod fieri non potuit nisi ipso Dei filio legi subjuncto ib. v. 4. Facile intelligitur, redemtione opus fuisse eodem modo, quo virum opus est a paedagogo solvi; si enim paedagogus aliquis hominem adultum in oboedientia externa vellet continere, paedagogus ipse obstaculo perfecto statui disciplui esset, qua re dicitur Gal. 4, 5., debuisse Judaeos liberari, ἵνα τὴν υἱοϑεσίαν ἀπολάβωμεν omnes. Ut paedagogum autem Paulus ipse τὸν νόμον magni aestimavit; legem scriptam, quinque scilicet Mosis libros, saepenumero testes fecit eorum quae lectoribus christianis explicavit, velut I. Cor. 9, 9. 13; 10, 1—11 (ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήϑησαν

[1]) Cf. *Frank*, l. c. § 21. 28. — [2]) Ad τῶν παραβάσεων χάριν et παιδαγωγός cf. *Usteri*, l. c. p. 66—69 et *Fricke* l. c. p. 31—39.

v. 6 cf. 11); 14, 21 Jesajam prophetam legi adjungens; 14, 34; Gal. 3, 8. 10. 15; 4, 21 s. Vult Corinthios christianos discere τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται I. Cor. 4, 6; dicit ubi dictum legis affert: εἶπεν ὁ ϑεός II. Cor. 6, 16; appellat Scripturam legis προϊδοῦσαν Gal. 3, 8.

Sed discrimen constituendum est in lege ipsa.[1]) Quid? Si servos reddidit Judaeos, nonne aliquid habuerit lex, quo dominationem effecerit et confirmaverit? Si fontem justitiae eam Judaei fecerant, quomodo hoc intelligitur, nisi justitiae aliquo modo cognata est? Si ipse Dei filius legi se subdidit, si omnino Deus eam promissionibus adjunxit, si peccata impedivit, si paedagogi vim per longum tempus habuit, quomodo omnino hoc fieri potuit? Forma illa nationalis ejus et Mosaica per Christum soluta est; quam si quis e christianis ita vult efferre, ut aeternam eam velit esse, legem ipsam laedit, παραβάτην se constituens Gal. 2, 18. Si quis paedagogum in patris locum succedere voluisset patrem suum vehementissime laesisset. Lex vero ut bonus paedagogus quasi manum tollens viam superiorem demonstrat, aptissimeque Paulus hac demonstratione utitur, velut Gal. 2, 19: διὰ νόμου νόμῳ ἀπέϑανον, et 4, 21. Quid vero? Quia viam demonstravit, nonne formae transeunti melior inerit materia et sublimis, quae nunquam sublata est, sed manet in aeternum? De peccato quod lege sublata intercedat clarissime disputat Paulus. Ἁμαρτία re vera subsistit etiam sublata lege, sicut fuit ante legem Rom. 5, 13 et sicut apud gentes invenitur sine lege Mosaica Rom. 1, 18 ss. Ἐντολάς I. Cor. 7, 19 et ἐπιταγάς I. Cor. 7, 6 cf. 10, 12. 25 et παραδόσεις I. Cor. 11, 2 cf. Gal. 1, 14 et Dei I. Cor. 7, 19 et Domini Jesu Christi I. Cor. 7, 25; 9, 14 et suas ipsius ib. v. 17 edicit. Unde vero hausit? Accedit, quod non legem sibi mortuam esse dicit, sed se legi Gal. 2, 20 et quod κατάραν νόμου profert Gal. 3, 10. 13. Explicatur Rom. 2 cf. I. Cor. 9, 20 s., ἁμαρτίαν inveniri in Judaeis et gentibus; alios sine lege peccavisse et sine lege perire, alios in lege versantes ob ea damnari, quae contra legem peccaverint; ὅταν γὰρ ἔϑνη τὰ μὴ νόμον (Mosaicum) ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου (Mosaici) ποιῶσιν, οὗτοι νόμον (Mosaicum) μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσιν (quasi) νόμος (Mosaicus), sibi ipsis id

[1]) Ad ea quae sequuntur cf. *Baur*, *Paulus*, II, p. 176, atque ea quae *Ritschl* in libro cui inscribitur „*Die Entstehung der altkatholischen Kirche*“ primo capite de Christo et lege Mosaica explicat. *Lutterbeck, Neut. Lehrbegriffe, II, 1852, p. 86.*

sunt, quod illis Mosaica est lex, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου (Mosaici) γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν κ. τ. λ. v. 14 s. [1]) Inest igitur legi aliquid, quod etiam gentes, natura quidem, faciunt, atque id ipsum verum ἔργον νόμου, Mosaici scilicet, est; nihil aliud lex Mosaica vere postulat, quam quod in cordibus omnium hominum inscriptum est et cui συνείδησις eorum συμμαρτυρεῖ. Vide quam laude digna Paulo videatur τὸ ἔργον τοῦ νόμου, non vero ἔργα νόμου. Quod si quis hoc verum opus legis non facit, ἁμαρτωλός est. Legem Mosaicam igitur is implet ita ut τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου habeat Rom. 10, 5, qui 1) singula ejus praecepta, velut circumcisionem, observat, 2) qui eam secundum sensum illum sublimem et communem implet; [2]) fieri potest, ut illa aliquis observet, hunc non impleat, vel ut ex illis alia observet, alia non observet; tum ea quae observat, nihil ei prosunt: παραβάτης est Rom. 2, 25. Contra si quis ei secundum sensum sublimem perfecte oboedire potest, illa aut (si sub lege est) plane observat (quod num fieri possit, paulo post disseremus) aut (lege sublata) salva justitia eorum observatione liberatus est. Praecepta enim illa data sunt sensus illius sublimis causa. Οἱ ὑπὸ νόμον Gal. 4, 4 vel οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι ib. v. 21 caveant, ne illis observatis hunc negligant. Quare Gal. 5, 23 enumeratis Spiritus Sancti fructibus, velut amore, pace, aliis, addit apostolus: κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστιν νόμος, ut notet, idem velle legem Mosaicam, quod agant christiani novam vitam gerentes. Dicit etiam nonnullis locis, a fidelibus τὸν νόμον πληροῦσθαι, velut Gal. 5, 14; 6, 2; atque Rom. 2, 26 ponit, gentes τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου ita φυλάσσειν, ut praeputium iis pro circumcisione, status legis Mosaicae praeceptis singulis oppositus pro statu legi congruo habeatur. Sunt igitur δικαιώματα quaedam in lege Mosaica, quibus observatis tota lex impletur; [3]) quae quomodo observari possint, illo loco non explicatur. Quae vero sint haec δικαιώματα, cognoscitur ex Gal. 5, 14: ὁ γὰρ νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πεπλήρωται, ἐν τῷ Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν, atque 6, 2:

---

[1]) *Hemsen, Der Apostel Paulus, 1830, p. 425: Wenn die Heiden, die kein (positives) Gesetz haben etc.* — [2]) *Immer* l. c. p. 277: *„so fällt ihm doch, wenn es sich um den Inhalt des Gesetzes handelt, das Gewicht auf die sittliche Seite."* — [3]) *Baur, Paulus, II, p. 176: „welches Wandeln nach dem Geiste zwar kein* ἐμμένειν ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις . . *ist, . . aber an Stelle dieser bloss quantitativen Gesetzeserfüllung ist die qualitative getreten" etc.*

ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσετε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ cf. Rom. 13, 8—10. Paulus legem quasi vas inane vel formam inanem dicit esse quod ad externa ejus praecepta attinet, quae quidem debeant impleri amore proximi. Hoc igitur videtur esse summum δικαίωμα legis, tale scilicet, quale lege sublata manet neque christianis non observandum est, unde dicitur νόμος Christi cf. Ev. Joh. 13, 34; 15, 12: Christus et ipse quasi legem dedisse dicitur, eam quidem, ut proximum amemus. Huc vero addendum est, quod Gal. 6, 14—16 se ipsum Paulus dicit non gloriari nisi de cruce Christi; mundum sibi crucifixum esse et se mundo; non enim circumcisionem aliquid esse neque praeputium, sed novam creaturam; καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχοῦσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτούς κτλ. Hic igitur summus est κανών, ut Christo, ut Deo vivamus et proximum amemus, quia Deus velit; hic est sensus sublimis legis Mosaicae et aeternus, cf. Gal. 5, 13; Rom. 1, 19—32; 7, 25; hoc est illud θέλημα θεοῦ Rom. 2, 18; 12, 2, quod Deus non potest quin teneat Gal. 6, 7: μὴ πλανᾶσθε, θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. Est voluntas quaedam divina, quam Deus postulavit postulat semper postulabit ut homines impleant Rom. 2, 6—8; II. Cor. 5, 10. Omnes homines Gal. 3, 22; Rom. 1, 18 ss; 3, 9 ss. inde ab Adamo 5, 12 ss. in peccato et ira Dei 1, 18 sunt, quia hanc voluntatem non impleverunt neque implent. Ut et melius impleant Gal. 3, 19 et se non implere accuratissime cognoscant Rom. 3, 19. 20, peccato παραβάσεων formam induente Rom. 5, 13 s. et transgressionibus sive παραπτώμασιν auctis Rom. 5, 20., Judaeis Deus legem scriptam dedit, non tanquam voluntatem illam sublimem ipsam, sed tanquam formam quandam ejus tempori et genti accommodatam, ut ad voluntatem illam implendam educarentur. Sed etiam gentibus quamquam ejusmodi legem scriptam divinam non habebant, in animos et conscientiam formam quandam illius voluntatis, imperfectissimam quidem, dedit. Quodsi Christus, Judaeis legem Mosaicam pro Dei voluntate summa ipsa sumentibus, legem sustulit, certam quandam voluntatem Dei tantum abfuit ut tolleret, ut eam apertissime proclamaret. Unde fit, ut Rom. 3, 27 cf. 8, 2 (ὁ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς) legi operum opponatur lex fidei, νόμος πίστεως [1]), deinde ut ib. v. 31. Paulus affirmet, se νόμον nolle καταργεῖν διὰ τῆς πίστεως, sed ἱστάνειν, denique ut 2, 16 dicatur,

[1]) Cf. *Baur, Paulus, II. p. 209.*

esse normam quandam, secundum quam judicaturus sit Deus omnes homines. Nota vero, hanc normam dici evangelium christianum. Est igitur voluntas quaedam divina [1]) implenda quum omnibus hominibus, tum christianis, quae quidem quasi (!) νόμος dici potest; est ἁμαρτία Rom. 6, 12 et ἀδικία ib. v. 13 et παράπτωμα Gal. 6, 1 cf. 2, 14, et κακόν Rom. 13, 4; ubi non impletur voluntas illa, manet ira Dei de iis qui non implent Rom. 12, 19; 13, 4 et judicium severum Gal. 6, 8: Rom. 2, 16; quin homines cognoscentes eam neque Gal. 5, 3 opp. 18. 3, 10 implere volentes se ipsos sub lege esse declarant; obligati sunt ut eam impleant, quod quia non possunt, sub ejus κατάρᾳ manent. Tertium non datur.

Is vero est verus et sublimis legis Mosaicae sensus, is quasi νόμος θεοῦ, ut omnia εἰς δόξαν θεοῦ faciamus; inde explicatur alterum, ut fratres amemus. Quod qui facit, justus est, Gal. 3, 12; Rom. 2, 13. 25. Quia vero nemo facere potest, ne Mosaica quidem lex data est idcirco, ut operibus ejus Judaei, nedum gentes justitiam obtineant, Gal. 3, 18. 21. Ex illo vero quod postulatur, ut omnia in Dei honorem faciamus, sequetur: si per nos ejusmodi res non fiunt, tamen Deus ipse ita nobiscum aget ut quae agat suum constituant honorem.

Jam facile est dicere, quae tandem sint opera legis. [2]) Sive enim genetivus (subj.) legem dicit operum quasi possessorem et dominum esse, sive eo (g. originis) opera dicuntur lege progigni sive, id quod melius videtur (g. obj.), intelliguntur tanquam in legem se dirigentia, certe sunt ejusmodi opera, quibus legem Mosaicam ita implere studeat homo, tanquam sit ipsa summa et ultima Dei voluntas, quibus igitur fiat, ut contra Dei ipsius voluntatem institutum ejus transiens et relativum in locum voluntatis summae efferatur. Sunt

---

[1]) Apparet, multum interesse inter hanc voluntatem et legem Mosaicam, si quidem νόμος πίστεως et νόμος πνεύματος dici potest. Tamen est constitutum sive institutio Dei, condiciones quasdam hominibus objicit, violari et potest neque debet; ubi violatur, ἁμαρτία est: crimen laesae majestatis Rom. 1, 32; I. Cor. 6, 1 ss. v. 15 cf. Rom. 8, 7; I. Cor. 11, 27 ss. — [2]) Cf. *Philippi*, Commentar. ad Rom. 1866 p. 91 ss. *Baur, Paulus*, II. p. 160. *Immer* l. c.: *„welche gethan werden in der Intention, damit das Wohlgefallen Gottes zu verdienen etc." Dähne, Paulinischer Lehrbegriff, Halle 1835, p. 89. Ritschl, Altkatholische Kirche, p. 75* dicens, Paulum velle *„nicht materielle Kritik dieses Gesetzes, sondern formelle Kritik des Begriffs des Gesetzes". Hofmann, Schriftbeweis II, p. 611.*

opera, non opus, opera scilicet singula, quibus homo justitiam sibi componere vult suis ipsius viribus, cf. Rom. 11, 6; 4, 4, non intelligens se plane injustum esse coram Deo neque Deum solum in honore habere neque fratres amare, neque intelligens, nunquam talibus rebus et operibus relativis veram justitiam effici posse. Sunt ejusmodi opera, quibus intelligatur, hominem non distinguere πνεῦμα et σάρκα, ut opera carnalia sive naturalia et externa per se Deo placere existimet Gal. 3, 3; cf. 4, 3, 9. Sunt omnia externa opera, quae lex Mosaica praescribit vel Pharisaei adjunxerunt II. Cor. 3, 6 ss., sicut περιτέμνεσθαι Rom. 2, 25 al., ἡμέρας παρατηρεῖσθαι καὶ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτοὺς Gal. 4, 10, εἰδωλόθυτα edere aut non edere I. Cor. 8, Rom. 14. Denique sunt ejusmodi opera, quibus aliquis se meritum quoddam (זכות) coram Deo sibi parare posse existimet, solius Dei laedens majestatem, καυχᾶσθαι volens, tanquam ipse quidquam praestiterit. Ab iis operibus distinguendum est πᾶν ἔργον ἀγαθόν II. Cor. 9, 8; Rom. 2, 7 cf. II. Cor. 13, 7 al.; ad ea enim opera saepenumero et ardentissime Paulus adhortatur lectores, ad implendam scilicet voluntatem lege expressam, velut ne scortentur I. Cor. 6, 12 ss., ut magistratibus pareant Rom. 13, 1 ss., ne inter se offensi sint II. Cor. 19, 20. Tamen ne haec quidem opera ad τὸ δικαιοῦσθαι pertinent Rom. 11, 6. Illa vero opera externa qui ita sequatur, ut iis velit δικαιοῦσθαι, τῆς χάριτος ἐξέπεσεν Gal. 5, 4 cf. 4, 11; suam enim ipsius voluntatem sequitur Deo non oboediens, Gal. 5, 7 al. Omnia ejusmodi opera omni pondere plane carent; per se enim omnia bona sunt quae Deus creavit I. Cor. 10, 25. 26, quamobrem omnia pura sunt Rom. 13, 14. 20, neque coram Deo quidquam valet, utrum quis circumcisus sit annon Gal. 5, 6 vel edat annon, I. Cor. 8, 8; neque consistit regnum Dei in edendo et bibendo Rom. 14, 17 s.; sed cor inspicit Deus Rom. 2, 28 s., II. Cor. 5, 12, et τὸ θέλειν II. Cor. 8, 10—12; 9, 7, et συνείδησιν eorum qui aliquid faciunt I. Cor. 8, hoc solum spectans, utrum in Dei aliquis honorem omnia faciat annon I. Cor. 10, 31.

Difficilius videtur dictu, quae sit notio Paulina justitiae.[1]) Videamus tamen, num accurate intelligamus quid de hac re sentiat.

---

[1]) Cf. *Diestel, Die Idee der Gerechtigkeit Gottes im A. T., Jahrbücher für deutsche Theologie 1860, p. 173—253;* de notione Paulina, quippe quae non statum, sed habitum designet, p. *247*. *Baur, Neutest. Theol.* p. 132 ss. et ipse notionem δικαιοσύνης definiens vocabulum „*Verhältniss*“ adhibet, sed

Si verum est, quod invenimus exposuimusque, apostolus non putabit quidquam bonum et rectum esse, nisi quod Deo placeat. In Deum enim omnino nulla cadit ἁμαρτία neque ἀδικία· μὴ γένοιτο, inquit, ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ θεὸς τὸν κόσμον; Rom. 3, 6. Quum hoc affirmet, non solum dicit notionem Dei judicis mundi plane excludere omnem injuriam, sed etiam v. 5 statim adjungit κατὰ ἄνθρωπον λέγω. Tantum igitur abest, ut in Deum ullum peccatum cadat, ut si ita sentiamus, ab humanis rebus ejusmodi cogitata sumamus. Hoc primo et semper tenendum in memoria de hac re nobis disputantibus. Memores etiam simus quomodo semper omnibus viribus Deum laudet, μόνον σοφὸν θεόν Rom. 16, 27; justum 2, 11; 3, 26; amantem, θεὸν τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης II. Cor. 13, 11 cf. I. Cor. 14, 33; II. Cor. 6, 16. 18; Rom. 4, 5. Quare quamvis saepissime utatur verbis καλόν, ἀγαθόν, εὔσχημον aliis, ut intelligi possit, eum habere notionem bonitatis cujusdam abstractae quae etiam extra vel prope vel supra Deum cogitari possit, tamen accuratius inspicientibus nobis apparebit, omnia quae bona appellet Paulus eum bona appellare non quia bona sind per se, sed coram Deo, II. Cor. 10, 18, quippe cui placeant quia salvo ejus honore facta sint ab hominibus. Omnibus igitur notionibus Paulinis ethicis inest momentum relationis divinae; omnes notiones ethicae apud Paulum notiones religiosae sunt. Intelligit sane etiam bonos quosdam mores humanos vel civiles neque spernit, sed ita dumtaxat eos aestimat, ut paedagogice ad Deum ducant aliquem vel aliquo modo Deo serviant.

Quae quum ita sint, non mirum quod etiam justitiae ex mente apostoli notio illa relativa vel potius religiosa inest. [1]) Est certe justitia quaedam humana, quae quidem est coram hominibus, sed haec justitia neque summa est neque vera, quamvis non contemnenda sit. Notamus vero, hanc justitiam esse statum quendam qui valeat aliquid coram hominibus, nihil valeat coram Deo; quod quamquam christiani bene

---

partem juridicam non satis tenet, cf. ejusdem *Paulus*, II, p. 146. Non possum quin afferam quibus verbis promiscue δικαιοσύνην describat; definire enim eum hanc notionem dici certe non potest: *1) das adaequate Verhältniss; 2) die den Menschen in das rechte Verhältniss zu Gott setzende sittliche Beschaffenheit; 3) die Adaequatheit des . . Verhältnisses; 4) der dem Willen Gottes angemessene Zustand des Menschen oder* (!) *seine Rechtfertigung.*

[1]) Cf. *Kahnis, Dogmatik, 2. ed. II., 262. Ritschl, Rechtfertigung und Versöhnung, II, 301 ss. Philippi*, Comm. in ep. Rom. 1866, p. 17.

opera, non opus, opera scilicet singula, quibus homo justitiam sibi componere vult suis ipsius viribus, cf. Rom. 11, 6; 4, 4, non intelligens se plane injustum esse coram Deo neque Deum solum in honore habere neque fratres amare, neque intelligens, nunquam talibus rebus et operibus relativis veram justitiam effici posse. Sunt ejusmodi opera, quibus intelligatur, hominem non distinguere πνεῦμα et σάρκα, ut opera carnalia sive naturalia et externa per se Deo placere existimet Gal. 3, 3; cf. 4, 3, 9. Sunt omnia externa opera, quae lex Mosaica praescribit vel Pharisaei adjunxerunt II. Cor. 3, 6 ss., sicut περιτέμνεσθαι Rom. 2, 25 al., ἡμέρας παρατηρεῖσθαι καὶ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτοὺς Gal. 4, 10, εἰδωλόθυτα edere aut non edere I. Cor. 8, Rom. 14. Denique sunt ejusmodi opera, quibus aliquis se meritum quoddam (זכות) coram Deo sibi parare posse existimet, solius Dei laedens majestatem, καυχᾶσθαι volens, tanquam ipse quidquam praestiterit. Ab iis operibus distinguendum est πᾶν ἔργον ἀγαθόν II. Cor. 9, 8; Rom. 2, 7 cf. II. Cor. 13, 7 al.; ad ea enim opera saepenumero et ardentissime Paulus adhortatur lectores, ad implendam scilicet voluntatem lege expressam, velut ne scortentur I. Cor. 6, 12 ss., ut magistratibus pareant Rom. 13, 1 ss., ne inter se offensi sint II. Cor. 19, 20. Tamen ne haec quidem opera ad τὸ δικαιοῦσθαι pertinent Rom. 11, 6. Illa vero opera externa qui ita sequatur, ut iis velit δικαιοῦσθαι, τῆς χάριτος ἐξέπεσεν Gal. 5, 4 cf. 4, 11; suam enim ipsius voluntatem sequitur Deo non oboediens, Gal. 5, 7 al. Omnia ejusmodi opera omni pondere plane carent; per se enim omnia bona sunt quae Deus creavit I. Cor. 10, 25. 26, quamobrem omnia pura sunt Rom. 13, 14. 20, neque coram Deo quidquam valet, utrum quis circumcisus sit annon Gal. 5, 6 vel edat annon, I. Cor. 8, 8; neque consistit regnum Dei in edendo et bibendo Rom. 14, 17 s.; sed cor inspicit Deus Rom. 2, 28 s., II. Cor. 5, 12, et τὸ θέλειν II. Cor. 8, 10—12; 9, 7, et συνείδησιν eorum qui aliquid faciunt I. Cor. 8, hoc solum spectans, utrum in Dei aliquis honorem omnia faciat annon I. Cor. 10, 31.

Difficilius videtur dictu, quae sit notio Paulina justitiae.[1]) Videamus tamen, num accurate intelligamus quid de hac re sentiat.

[1]) Cf. *Diestel, Die Idee der Gerechtigkeit Gottes im A. T., Jahrbücher für deutsche Theologie 1860, p. 173—253;* de notione Paulina, quippe quae non statum, sed habitum designet, p. *247*. *Baur, Neutest. Theol.* p. 132 ss. et ipse notionem δικαιοσύνης definiens vocabulum „*Verhältniss*“ adhibet, sed

Si verum est, quod invenimus exposuimusqne, apostolus non putabit quidquam bonum et rectum esse, nisi quod Deo placeat. In Deum enim omnino nulla cadit ἁμαρτία neque ἀδικία· μὴ γένοιτο, inquit, ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον; Rom. 3, 6. Quum hoc affirmet, non solum dicit notionem Dei judicis mundi plane excludere omnem injuriam, sed etiam v. 5 statim adjungit κατὰ ἄνθρωπον λέγω. Tantum igitur abest, ut in Deum ullum peccatum cadat, ut si ita sentiamus, ab humanis rebus ejusmodi cogitata sumamus. Hoc primo et semper tenendum in memoria de hac re nobis disputantibus. Memores etiam simus quomodo semper omnibus viribus Deum laudet, μόνον σοφὸν Θεόν Rom. 16, 27; justum 2, 11; 3, 26; amantem, Θεὸν τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης II. Cor. 13, 11 cf. I. Cor. 14, 33; II. Cor. 6, 16. 18; Rom. 4, 5. Quare quamvis saepissime utatur verbis καλόν, ἀγαθόν, εὔσχημον aliis, ut intelligi possit, eum habere notionem bonitatis cujusdam abstractae quae etiam extra vel prope vel supra Deum cogitari possit, tamen accuratius inspicientibus nobis apparebit, omnia quae bona appellet Paulus eum bona appellare non quia bona sind per se, sed coram Deo, II. Cor. 10, 18, quippe cui placeant quia salvo ejus honore facta sint ab hominibus. Omnibus igitur notionibus Paulinis ethicis inest momentum relationis divinae; omnes notiones ethicae apud Paulum notiones religiosae sunt. Intelligit sane etiam bonos quosdam mores humanos vel civiles neque spernit, sed ita dumtaxat eos aestimat, ut paedagogice ad Deum ducant aliquem vel aliquo modo Deo serviant.

Quae quum ita sint, non mirum quod etiam justitiae ex mente apostoli notio illa relativa vel potius religiosa inest. [1]) Est certe justitia quaedam humana, quae quidem est coram hominibus, sed haec justitia neque summa est neque vera, quamvis non contemnenda sit. Notamus vero, hanc justitiam esse statum quendam qui valeat aliquid coram hominibus, nihil valeat coram Deo; quod quamquam christiani bene

---

partem juridicam non satis tenet, cf. ejusdem *Paulus*, II, p. 146. Non possum quin afferam quibus verbis promiscue δικαιοσύνην describat; definire enim eum hanc notionem dici certe non potest: *1) das adaequate Verhältniss; 2) die den Menschen in das rechte Verhältniss zu Gott setzende sittliche Beschaffenheit; 3) die Adaequatheit des . . Verhältnisses; 4) der dem Willen Gottes angemessene Zustand des Menschen oder* (!) *seine Rechtfertigung.*

[1]) Cf. *Kahnis, Dogmatik, 2. ed. II., 262. Ritschl, Rechtfertigung und Versöhnung, II, 301 ss. Philippi,* Comm. in ep. Rom. 1866, p. 17.

sciunt, tamen non sunt ii, qui eam contemnant. Igitur ne haec quidem justitia consistit primo loco in habitu quodam morali vel in bonis moribus et motibus hominis per se, sed est in statu ejus et relatione quam habet cum aliis hominibus. Justus δίκαιος est is, qui eam obtinet erga ceteros condicionem, quam oportet. Hoc enim certe inest et in hebraeo צדק „rectum esse" et in graeco δίκη, normam aliquam non supercedi, sed observari et impleri. Quodsi quis hanc normam transgreditur, in se ipso malus est; quod vero ad alios attinet homines, injustus, illam condicionem amittens quam oportet habere. Unde primo evenit, ut lege violata lege puniatur vel jure violato injustus fiat: etsi fortasse non punitur, tamen in ea est relatione, si legem respicimus, ut lex eum debeat punire, cf. I. Cor. 11, 27: ἔνοχος. Inde perspicitur [1]) notionem justitiae humanae esse notionem juridicam. Secundo demum loco respicitur, statui juridico vel objectivo respondere habitum quendam moralem, ut accedat, justum esse non solum eum, qui lege non puniatur, sed eum etiam, qui ne violaverit quidem legem. Duae igitur partes sunt justitiae: prima et gravissima objectiva et juridica, secunda subjectiva. [2]) Quae duae partes fieri potest ut inter se discrepent. Sed quo perfectior lex est quoque perfectiores judices, eo minus discrepant.

Quare factum est, ut ambae notionis partes apud Hebraeos non accurate distinctae sint. Vix enim aut in Vetere aut in Novo Testamento justitia civilis in quaestionem vocatur. Unum habent et eundem legislatorem et judicem perfectissimum, quem et fontem et normam omnium bonorum cognoscunt, Deum. Si quem judicans reprobavit, injustus quin sit nemo est qui dubitet; quod si quem alii homines per aliquantum temporis, quamquam coram Deo injustus fuit, justum putabant, tamen hoc non fieri potuisse nisi errore apparebat. Judicavit vero Deus a posteriori, rebus et actis humanis inspectis Rom. 1, 18 cf. 2, 2: κατὰ ἀλήθειαν: tamen verum et proprium judicium, quo quem Deus injustum declarat, a priori videtur esse Rom. 3, 9 s., 5, 12 ss.; ut appareat, eum inspicere sane et intelligere et nuntiare, homines malos, quin pessimos esse, id quod non voluerit; inde vero

---

[1]) Quomodo *Immer* l. c. p. 290 δικαιοσύνην dicat esse *„das Erfassen und sich Verlassen auf die Gnade und Treue Gottes"* non intelligo. — [2]) Fere omnes theologi biblici quamquam partem subjectivam plerumque priorem vel solam faciunt, non possunt quin objectivam agnoscant cf. e. g. *Usteri*, l. c. p. 86 s. cf. 54: *der höchste sittliche Begriff und . . auch das höchste Gut.*

factum est, ut **injusti** facti sint ipso Dei judicio ὀργῆς Rom. 1, 18., normalem quidem statum juridicum propter peccata sua amittentes. Malitia praecedit judicium Dei; judicium praecedit injustitiam, quippe quae proveniat ex judicio Dei.

Agitur apud Paulum semper de ea quae vera et summa est justitia, divina scilicet vel Dei sive coram Deo, cf. Rom. 4, 2. Inest igitur notioni justitiae sensus relationis: justus est coram Deo is, qui eam obtinet erga Deum condicionem quam oportet. Adest norma: voluntas Dei, ut ei soli summum honorem demus; quam qui non implet, peccat ἀσέβειαν Deo praeferens; inde demum fit, ut Dei judicio condicionem illam normalem amittens injustus fiat, amittat gratiam et amorem Dei. Injustus igitur primo est is, **quem** Deus ex lege sua vel jure suo reprobavit: ὑπόδικος Rom. 3, 19 sive ἔνοχος I. Cor. 11, 27 sive ii qui ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ Rom. 3, 23; deinde demum ἄδικος is, **qui** Deum reprobavit; violatio legis divinae est causa injustitiae, non injustitia ipsa. Haec scilicet verba sicut in lingua hebraea et in universo linguae graecae usu ita etiam apud Paulum notionem justum **reddendi** [1]) sine dubio habent; is enim, qui δικαιοῖ aliquem, in statum justitiae vere eum transponit. Tamen in ipsa notione justi et justitiae sensum juridicum et declaratorium inesse jam invenimus: judicio scilicet absolutorio is qui justificatur re vera in statum normalem, usum videlicet omnium bonorum transgreditur, tanquam leges non violaverit. Jam etiam alia illa difficultas remota est, quomodo fieri possit, ut Deus aliquem bonum appellet, qui bonus non sit: non bonum eum appellat,[2]) sed justum sive declarat sive reddit: **Accipe**, inquiens, quae vis, quamvis non bonus sis; vel ut παραδόξῳ exprimam: Sis justus (objective), quamquam non justus es (subjective) cf. II. Cor. 5, 21.

---

[1]) *Usteri l. c. p. 88: „so dass Gott den Menschen, der an sich* ἄδικος *ist, zum* δίκαιος *macht, und ihn wie einen gesetzlich Vollkommenen behandelt"; cf. p. 91. 54. Rückert l. c. p. 271: „Gott macht den Menschen* δίκαιος, *nicht indem er ihm ein anderes sittliches Wesen giebt" etc. Hofmann, Schriftbeweis, II., p. 612 s.: Verhältniss—Beschaffenheit. cf. p. 643. Ritschl, A. K. p. 77. Lutterbeck, II, 195. Diestel, p. 250.* — [2]) *Kaftan, Das Evangelium des Apostels Paulus. 1879. p. 52. 53.* Acutissime, sed falso illam difficultatem protulit *Baur, Paulus, II, p. 711: „dass der an sich Ungerechte ein Gerechter sein soll, ist der eigentliche Inhalt des Glaubens . . . Hierin hat die paul. R. L. ihre grösste Härte. Sie muss als wirklich vorhanden ansehen . . . dass, was an sich nicht ist, dennoch ist." Ritschl, l. c. p. 84: das göttliche Urtheil . . . ein synthetisches Urtheil*

Denique intelligitur hanc justificationem fieri ex mera Dei gratia posse: videmus, cur saepissime Paulus χάριν ϑεοῦ celebret Gal. 1, 21; 5, 4; Rom. 1, 7; 3, 24; 4, 16; 11, 6 al. Atque hoc dignum est, quod expresse notetur: in justificatione justificari hominem, qui coram Deo nihil valeat nihilque possit suis ipsius viribus, qui in statum justitiae transgredi nequeat judicio severo, sed tantum absolutorio. Est igitur et manet justificatio actus declaratorius Dei apud Paulum apostolum, ita tamen, ut justificare sit re vera justum reddere, hoc vero idem quod declarando omnia bona ei attribuere, tanquam bonus sit. Quamobrem Apol. Conf. Aug. (Müller, p. 100, §. 72. 78) articulo fundumentali non laeso potest dicere, justificari esse „ex injusto justum effici", cf. Joh. *Gerhardi* Locorum XVI, I, 14 (ed. *Preuss* 1864, III, p. 308): „potest enim quis justus fieri per alterius judicium" cet. Hac justificatione injustus statim justus fit; nulla enim est justitia vera nisi coram Deo: quod si Deus aliquem justum reddidit, quis est qui injustum eum dicat? Rom. 8, 31. 33 cf. II. Cor. 10, 18.

Δικαιοσύνη ϑεοῦ igitur non est habitus hominum moralis vel qualitas, ut philosophorum utar vocibus, non boni mores et boni motus animi, sed status quidam ad jus divinum pertinens, recta quaedam hominis erga Deum relatio.[1]) Opponitur Rom. 10, 3 propriae justitiae sive legali Rom. 10, 5 s. cf. Gal. 5, 5, quam si quis sequitur, suis viribus (operibus legis) conatur rectam illam relationem efficere, tanquam ipsi jam sit justitia; quae quoniam non est, fallitur, ut eadem justitia falsa vel nulla dici possit atque cum grano salis propria dicatur. Quia vero δικαιοσύνη ϑεοῦ opposita est propriae, videtur genetivo ϑεοῦ Deum possidere illam justitiam dici. Quod non mirum, siquidem Deus et ipse erga homines non potest quin recte agat et hominibus regulas et vires ad rectam erga Deum et homines tenendam relationem solus dare potest, ut solus sit fons omnis justitiae, cf. Rom. 3, 26. Alio modo liceat explicare. Si de justitia Dei a Paulo disseritur, sentit duas partes, Deum et homines.

---

[1]) *Baur, Neut. Theol. p. 134* non satis dilucide: *die Art und Weise, wie Gott den Menschen in das rechte Verhältniss . . setzt.* Cf. *Hofmann, Schriftbeweis I, p. 625 ss. Pfleiderer, Paulinismus, p. 175 s. Holsten (Jahrbücher für prot. Theol. 1879, p. 134 ss.), Der Gedankengang des Römerbriefs I—XI. Köstlin, Ueber den Lehrgehalt des Römerbriefs, Jahrbücher für deutsche Theologie 1856, p. 126 s.*

Justitia est recta duarum partium inter se relatio. Deus vero non recte erga homines agere non potest Rom. 3, 6; de Dei igitur erga homines recta relatione dici non potest. Quod vero ad homines attinet, eam quam debent habere suis amiserunt peccatis. Quomodo recuperabunt? Conantur multi ipsorum viribus, sed non possunt; formam quandam tantummodo sibi parant, falsam, propriam. Nemo potest statum illum amissum restituere nisi Deus ipse peccatis remissis sua gratia. Sin Deus rectam relationem vult restituere, statim restituit, quia solus est, qui restituere potest. Unde fit, ut δικαιοσύνη Θεοῦ eadem sit atque justitia vera et sola. [1])

Quodsi jam diximus, Deum non posse non bonum et sanctum esse, tamen accidit, ut homines injustum eum affirment, contra jus scilicet et leges divinas eum fecisse sive ἄδικον esse Rom. 3, 5 dictitantes. Tum quamvis per se injustus non sit, tamen coram hominibus injustus est, ut opus sit, eum δικαιωϑῆναι Rom. 3, 4 cf. 9, 14; 3, 25. 26, non certe hominum gratia, sed ipsius operibus, hominibus autem judicantibus, Deum re vera sanctum et bonum (ἀληϑῆ Rom. 3, 4) esse. Quod ubi judicaverunt, quasi justum eum reddiderunt (cf. Rom. 3, 5), sanctum eum declarantes. Non igitur judicium justificans semper eum respicit, qui leges violavit et re vera jus laesit, sed eum etiam, qui laesisse videtur, quin eum, qui non laesisse denuo declaratur ab admirantibus judicibus. Ut vero etiam melius intelligatur, δικαιοσύνην primo loco non esse habitum, sed statum et relationem, opus est ut in memoriam revocetur, τῇ δικαιοσύνῃ non solum ἀνομίαν II. Cor, 6, 14 vel ἀδικίαν opponi, sed potius ἁμαρτίαν [2]), ἁμαρτίαν autem non in homine solum inveniri [3]), sed potius extra

[1]) Cf. *Dähne*, l. c. p. 77. Cum *Lipsio*, l. c. p. 16 ss. consentire non possum, quippe qui δικαίωσιν et justum declarare (reddere) et justum efficere (bonum reddere) dicat esse. — [2]) Discrimen inter ἀδικίαν et ἁμαρτίαν intercedens bene intelligitur Rom. 6, 13: μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας (habitus subjectivi) τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀλλὰ τῷ Θεῷ.— [3]) Ἁμαρτία optime opponitur τῇ δικαιοσύνῃ. Nam etiam in ἁμαρτίᾳ duplex aliquid videtur inesse. Est enim ἁμαρτία *Verfehlung*, primo quidem recti erga Deum modi agendi, deinde etiam rectae erga Deum condicionis; unde potentia quaedam dici potest; quamvis enim non per se subsistat, tamen relationem re vera, non secundum humanas cogitationes solum, falsam significat, cf. Rom. 5, 12 ss.; 3, 9; 7, 14: σαρκινός εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. Cum carne singulorum hominum conjuncta est ἁμαρτία; tamen etiam objectiva quaedam condicio est. Ambae partes notionis ἁμαρτίας oxymoro conjunctae sunt II. Cor. 5, 21. Cf. *Holsten*, *l. c. p. 319 s.*

hominem et super homine, unde perspicitur, eam esse falsum statum falsamque hominis erga Deum relationem, quam non penes hominem sit rectam reddere, Gal. 3, 22 s.; Rom 5, 12 ss. sicut II. Cor. 5, 21 Deus dicitur Christum ἁμαρτίαν fecisse.[1]) Unde fit, ut δικαιοσύνη θεοῦ ἀποκαλύπτηται Rom. 1, 17, sicut ἀμνηστία proclamatur in nostris civitatibus legibus rei publicae non solutis quidem, sed secundum gratiam regis adhibitis: non proclamantur novi motus et mores sed summa bona quum gratis (δωρεάν Rom. 3, 24) tum jure a rege coelesti donata. Quare adumbratur τὸ δικαιωθῆναι Gal. 4, 5 cf. Rom. 8, 15—17 voce υἱοθεσίας: filii Dei quasi ponuntur, in statum et jura filiorum vere transponuntur, qui justificantur, ut deinde filii sint Gal. 3, 26; ea enim quae v. 27. sequuntur secundum contextum non indicant υἱότητα fundamentum habere in infusione virtutis cujusdam divinae, quamvis videatur; immo ex 4, 6 videmus, prius (non quod ad tempus, sed quod ad ordinem logicum attinet) aliquem filium fieri, deinde Spiritum Sanctum accipere. Sed etiam alio modo τὸ δικαιωθῆναι circumscribitur. Gal. 3, 13 enim legitur: ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας; eodem capite de accipienda εὐλογίᾳ et ἐπαγγελίᾳ multa dicuntur; item κληρονομία adhibetur 3, 18. 29; 4, 7; Rom. 8, 17 et Deus dicitur μὴ λογιζόμενος τὰ παραπτώματα II. Cor. 5, 19.[2]) Non obstat, quod I. Cor. 1, 30 δικαιοσύνη conjungitur cum σοφίᾳ et ἁγιασμῷ et ἀπολυτρώσει; diversae ibi notiones consulto junctae sunt; non obstat, quod II. Cor. 9, 9 ss. loco Veteris Testamenti allato ethico sensu adhibetur: non nego vocem δικαιοσύνης virtutem vel qualitatem ethicam significare posse, cf. etiam Rom. 3, 25. 26; II. Cor. 6, 7. 14; 9, 10; sed ubi de δικαιοσύνῃ θεοῦ disseratur, illo sensu eam adhiberi nego. Denique conferantur qui summi ponderis sunt loci quibus vocabulum λογίζεσθαι[3]) legitur. Si δικαιοσύνη virtus esset, male apostolus locutus esset. Primo enim dicit Paulus Rom. 4, 3. 22. 5. 9 λογίζεσθαι τὴν πίστιν εἰς δικαιοσύνην. Si δικαιοσύνη

---

[1]) Cf. etiam alia verba δικαιοσύνῃ opposita, velut ὀργὴ θεοῦ Rom. 1, 18 opp. 17, ἔχθρα θεοῦ Rom. 5, 10 cf. 8, 7; ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ Rom. 3, 23. — [2]) Addenda etiam sunt quae de pace dicit et de aditu qui nobis sit ad Deum Rom. 5, 1. 2 cf. 1, 7, et de absente κατακρίματι 8, 1, et de reconciliatione Rom. 5, 10 cf. 9 δικαιωθέντες. Nota etiam, quod Rom. 5, 13 negatur ἁμαρτίαν ἐλλογίζεσθαι μὴ ὄντος νόμου, eam vero esse et mortem eam sequi tamen affirmatur. — [3]) Hac ipsae propositiones, quibus λογίζεσθαι adhibetur in describenda singulorum hominum fide, indicant, Paulum

virtus est, quaeritur, utrum Abraham δικαιοσύνην jam aliquam habuerit, ad quam adnumerata sit nova δικαιοσύνη — quod Paulum negare apparet — an Paulus velit dicere, Deum nominare virtutem id quod virtus non sit. Quid quod 4, 6 dicit: λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων? Si de virtute agitur, nonne in operibus τὸ λογίζεσθαι semper versatur? Accedit, quod v. 8. legimus: οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν cf. 5, 13, unde cognoscitur non de ἀδικίᾳ vel παραβάσεσιν agi, sed de eo quod inde consequatur: peccavisse homines Deus non potest negare, sed quae inde sequuntur non semper et ubique concludere vult, ἁμαρτίαν οὐ λογιζόμενος, sed δικαιοσύνην „Schuldfreiheit" [1]) statuens Rom. 5, 6. 11; ut etiam si εἰς δικαιοσύνην legimus vertendum mihi videatur: ut status δικαιοσύνης proveniat. [2])

Nunc autem quaeritur quomodo homines in hunc statum δικαιοσύνης intrent. Unum vidimus: nemo poterit, nisi quem Deus admiserit; agitur enim de ea re, quam nemo potest tribuere nisi Deus ipse. Secundo apparet, neminem eum admittere nisi mera gratia cf. Rom. 10, 6; nemo enim dignus est, qui suo ipsius merito admittatur, cf. Gal. 2, 21; Rom. 3, 9 ss. Neminem admittet, qui ut admittatur postulabit, suum ipsius proferens meritum, Dei deminuens honorem; immo eos solos poterit admittere qui Deo totum tribuent honorem (p. 21) vel potius ei sese subdent condicioni, qua δόξα θεοῦ proclamatur et augetur. Tertium addendum, Deo non satis visum esse hominibus peccata remittere, sed filio suo mortuo Gal. 3, 13 al. reconciliationem mundi paravisse II. Cor. 5, 18 ss., ut cognoscatur, Deum non solum benignum, sed etiam sanctum esse neque ex libidine [3]) homines admittere, sed satisfactione facta pro violata voluntate sua. Jam intelligimus, quid postulet

---

non cum Ritschlio viro doctissimo (*Altkath. K. p. 90*) justificationem velle semel factam esse de omnibus fidelibus, sed de singulis, neque (*Rechtfertigung II, p. 160. 214*, cf. *Weiss*, *p. 319*) ecclesiam esse objectum justificationis, sed singulos.

1) Cf. *Frank*, *l. c. §. 25.* — 2) *Philippi*, *Comm. 1866*, *p. 128.* — 3) Hominem non sine condicione in statum justitiae intrare, optime intelligitur Rom. 10 init., ubi explorato quid legalis justitia dicat justitiam fidei v. 6. apostolus facit vetantem et imperantem: μὴ εἴπῃς . . ὁμολογήσῃς . . πιστεύσῃς. Cf. *Dähne*, *l. c. p. 76.* Velim hoc loco dicere, me non ignorare objectivam fidei partem. Immo totum Paulum scio in in eo versari ut Christum praedicet pro nobis mortuum et vivum atque supra (pag. 2 s. al.) satis exposuisse mihi videor. Fidem vero existimo esse notionem subjectivam, quamvis ei objectiva respondeat pars.

Deus: ut homo oboedienter accipiat, quae excluso omni merito ei dantur, ut ἁμαρτίαν et injustitiam illam tolli sinat et Dei solam gratiam agnoscat. Ὑποκούειν igitur illud accuratius cognoscitur esse accipere donum divinum; nemo enim accipere potest nisi accipiendo se ei subdens, qui donat; nullum potest homo Deo tribuere honorem nisi quum accipiat quae ille donet.

Homo enim injustus suis ipsius viribus nunquam illam voluntatem Dei implere poterit, nunquam omnem ei honorem tribuere. Non habitat in eo, scilicet in carne ejus, ἀγαθόν, Rom. 7, 18; οἱ κατὰ σάρκα sive homines naturam sequentes τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν 8, 5, cujus φρόνημα est θάνατος v. 6 et ἔχθρα εἰς θεόν: non oboedit legi Dei, οὐδὲ γὰρ δύναται v. 7. Et scientia et voluntas hominum perversa est, gentium et Israelitarum Rom. 1, 9—c. 2, sine ulla exceptione 3, 9—20 cf. 4, 23; 3, 4. Ne ii quidem quidquam valent, qui coram hominibus sapientes et potentes et nobiles sunt I. Cor. 1, 26—29. Ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ . . οὐ δύναται γνῶναι, ib. 2, 5—14.

Qua re ii qui justificantur a Paulo electi nominantur, quippe qui sola et libera gratia praedestinati et vocati sint ad justitiam, Rom. 8, 28—30; I. Cor. 1, 27 ss. Sed quamvis electos eos appellet, tamen non vult, electionem voluntatem illam Dei sanctam tollere, sed confirmare; neque tollit liberum quoddam hominis arbitrium, sed semper ponit, semper ad illud arbitrium scribens et praedicans se convertit. Haec summa et laudabilissima videtur esse gratia, quae non solum summum bonum homini donat, sed etiam vires, ut accipiat. Neminem legimus I. Cor. 12, 3 posse Jesum dominum appellare, nisi Spiritu Sancto; manet igitur postulatio, ut ipsi agamus aliquid (appellare enim actio quaedam est humana); notio gratiae excludit meritum humanum, actionem hominis non excludit.[1])

Quae vero est illa condicio, sine qua Deus neminem vult justificari? Quae est illa actio, quae non comparari potest cum operibus legis, quae non venit ex statu justitiae sed qua obtinetur justitia, quae quamquam omne meritum excludit, tamen coram Deo valet et in novum hominem traducit statum, quae est illa actio qua Dei

---

[1]) *Usteri, l. c. p. 109: eine Selbstthätigkeit, die freilich ein Minimum ist etc.* Injuria *Rückert, l. c. p. 272: Vielleicht war ihm selbst nicht klar, dass durch die subjective Bedingung des Glaubens das Geschenk nicht mehr ganz Geschenk war. Hofmann, Schriftbeweis II, p. 610.*

solius honor omni ex parte manet et agnoscitur, Dei gratia libere et oboedientur accepta? Satis notum est, fidem [1]) esse illam condicionem, sine qua Deus neminem velit justificare Gal. 3, 26; 5, 5. 6; Rom. 1, 16. 17; 3, 22—30; 10, 4 ss.; I. Cor. 1, 21 al. Idem igitur invenimus, quod in epistolis ad Thessalonicenses missis, fidem esse eam hominis actionem qua homo viribus a Deo suppeditatis Dei gratiam in Christo revelatam accipiat. [2]).

---

[1]) Iis, quae supra explicantur, haec addo. Interdum invenitur τῇ πίστει στήκετε II. Cor. 1, 24; Rom. 10, 20 cf. I. Cor. 15, 1: in evangelio ἑστήκατε. Primo horum locorum dicit apostolus, nolle se κυριεύειν αὐτῶν τῆς πίστεως illicito modo regere actionem illam credendi; secundo peccatum, propter quod Judaei ἐξεκλάσθησαν, ἀπιστία dicitur cf. supra pag. 19 s.; tertio loco finis credendi dicitur σώζεσθαι: εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε: actio credendi inanis sive frustra facta est, si homo non σώζεται. Actioni humanae ἀπιστίας opponitur Rom. 3, 3 actio divina πίστις τοῦ θεοῦ, quatenus Deus sibi assumsit et firmissime tenet homines; quamobrem etiam πιστός interdum dicitur, I. Cor. 1, 9; 10, 13. — Rom. 1, 12 voluit Paulus confirmari fidei actione viva Romanorum inspecta; 4, 12 describit fidem στοιχεῖν τοῖς ἴχνεσιν fidei Abrahami. I. Cor. 6, 13 legitur: γρηγορεῖτε, στήκετε ἐν τῇ πίστει, ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε; II. Cor. 8, 7 conjunguntur πίστις, λόγος, γνῶσις, πᾶσα σπουδή, ἀγάπη; 13, 5 invenitur: ἑαυτοὺς πειράζετε, εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει. Quodsi Rom. 12, 3 ait Paulus: ὁ θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως, sentit naturales et spirituales fidei condiciones a Deo praebitas, de quibus etiam II. Cor. 4, 13: τὸ πνεῦμα τῆς πίστεως habentes (vide infra). Actio vero fidei tanquam res per se subsistens describitur Gal. 3, 23. 25: dicitur ἐλθεῖν et ἀποκαλυφθῆναι; similiter fideles dicuntur 6, 10 οἱ οἰκεῖοι τῆς πίστεως qui participes sunt fidei actionis; denique Gal. 1, 23 et 3, 5 πίστις adhibetur pro doctrina quae est de fide. Omnibus igitur his locis definitio illa confirmatur. Nota etiam, vocem οἱ πιστεύοντες circumscribi I. Cor. 1, 2: οἱ ἐπικαλούμενοι τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. — [2]) *Baur* (*Paulus II, p. 161 ss. Neut. Theol. p. 154 ss.*) fidem tanquam rem theoreticam multis verbis describit, p. 172 s. prioris libri autem perspicitur et pag. 257 ipse dicit, eam esse actionem, „*Thun*“. *Usteri* l. c. p. 98 n. scribit, eam esse „*ein auf Erkenntniss gegründetes innerliches Thun*,“ cf. *p. 109*. *Dähne* l. c. p. 103 cf. 171: *es ist darum wesentlich derselbe geistige Act. Kern, Der Brief Jacobi, 1838*, non ita aperte, p. 48: *Seelenstimmung*, *Organ zum Ergreifen. Neander, Geschichte der Pflanzung etc. 1862, p. 553: Handlung des inneren Menschen. Rückert*, l. c. p. 264: *das geistige Ergreifen des idealen Lebens*, cf. p. 258: *eine freie That des Geistes. Lipsius* l. c. p. 105: *wesentlich Vertrauen; p. 106: rückhaltlose Hingabe des Gemüths;* p. 118 accipitur definitio illa *Usteriana. Köstlin* l. c., p. 303 ss. (non de sola Paulina notione dicens): *das principielle, fundamentale Gotteswerk. Dorner, Jahrbücher für deutsche Theologie, 1856, p. 12: Trieb nach Lebensgemeinschaft mit Gott. Ritschl, Rechtfertigung*

Describit Paulus τὸ ἐν πίστει ζῆν Gal. 2, 20 versu 19: ἵνα Θεῷ ζήσω, scilicet ἐν Χριστῷ Rom. 6, 11 sive Christo 7, 4. Si Gal. 3, 6 legimus: Ἀβραὰμ ἐπίστευσεν τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην cf. Rom. 4, 3., actio quaedam Abrahami narratur, actio scilicet in Deum se convertendi, Deo confidendi. Si 3, 27 cf. Rom. 13, 14 initium novi Galatarum status describitur: ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε, nonne etiam in ἐνεδύσασθε actio quaedam notatur, actio scilicet assumendi et induendi Christi? Atque ut hoc loco, aptissime etiam 4, 9 pars activa et passiva conjuncta est: γνόντες Θεόν, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ, πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν κ. τ. λ. Deinde 4, 14 s. laudantur Galatae, quod summo studio apostolum nuntium Dei acceperint ubi primo iis praedicaverit: laudantur propter actionem fidei, cf. 5, 7. Dicitur πίστις 5, 6 ἐνεργουμένη; laudatur Rom. 1, 8 ss. eodem modo quo I. Thess. 1, 8., dicitur evangelium Rom. 2, 16 norma, secundum quam omnes homines judicentur, ut appareat, postulari aliquid ab hominibus evangelio; si enim nihil postularetur, non possent judicari. Gratia non opponitur omni actioni spirituali humanae, sed operibus legis et merito; immo saepe ex laude gratiae ad adhortationes transgreditur apostolus, a laude operis Dei ad postulandam hominis actionem, velut Gal. 2, 21—3, 1. Simili modo Rom. 3, 22. 28 vocibus πιστεύοντας et πίστει pars humana, verbis δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι v. 24 pars divina significatur; item 4, 16: ἐκ πίστεως ἵνα κατὰ χάριν. I. Cor. 14, 24. 25 accuratissime et pulcherrime describitur, quomodo aliquis ad fidem transgrediatur: describitur vis verbi praedicati hominem convincentis: revelata sunt intima

---

II, p. 320 s: eine Art des Gehorsams. Pfleiderer, l. c. p. 164: *ein theoretischer Akt, p. 165: ein Gehorsamsakt.* Ne *Weiss* quidem, p. 320 summo studio negans fidem esse „*Thun*," „*menschliche Leistung*," nequit dicere, eam esse *Verzichtleisten*, *Vertrauen*, *Ueberzeugung*, alia. Nonne haec omnia actiones spirituales hominis sunt aut certe sine actione humana fieri non possunt? An existimamus, nos quidem scire, Paulum vero non intellexisse actionem humanam? *Philippi, Glaubenslehre, I, 1864, p. 49 ss: „Grundact des erkennenden und wollenden Menschengeistes,"* notans ὑπακοήν Rom. 1, 5 (p. 50) et *Joh. Gerhardium* dicentem, „fidem esse in corde hominis, hoc est in animo tanquam proprio subjecto." *Lechler, Apost. Zeitalter, 1851, p. 67: „er fasst vielmehr die* πίστις *als ein sittliches Handeln, als eine That des inneren Menschen, als ein* ὑπακούειν ἐκ καρδίας." *Reuss*, Histoire de la théologie chrétienne au siècle apostolique II, 1864, p. 103: un acte de l'intelligence . . du sentiment, de la volonté. *Ewald, Lehre von Gott, III, 259 ss: eine Macht.* Cf. etiam *Kahnisii* v. d. dogmaticam, II, 251. 268 ss.

cogitata hominis tanquam pessima; tum agnoscit veritatem se ipse prosternens, Deum adorans, confitens: re vera Deus in vobis est. Ecce quomodo conjuncta sit vis verbi antecedens cum sequenti actione agnoscendae veritatis et adorandi Dei. Conferatur etiam II. Cor. 6, 1: τὴν χάριν τοῦ θεοῦ δέξασθαι.

Iterum igitur actio hominis? Nonne ecclesia nostra, nonne omnes vere christiani in hoc stant articulo principali, hominem justificari sine operibus? Respondeo primo, agi hocce loco de Paulo atque de iis quae Paulus scripserit. Paulum vero dico docere, hominem justificari non ex operibus, sed exclusis omnibus operibus legis, una generali et centrali actione totius hominis intercedente, quae major sit omnibus operibus legis. Quod ne doctores quidem ecclesiae evangelicae negant, fidem definientes notitiam et assensum et fiduciam vel *Ueberzeugung* vel *Vertrauen* vel simili modo. Omnes enim illae notiones ad actiones spirituales hominis pertinent; neque ecclesia evangelica negare vult neque potest, oportere ut homo agendo accipiat quae Deus ei vult gratis donare, quamquam neque fidei ipsius actio nos justificaret, nisi Christus esset et ejus opus tanquam actionis objecta, neque aliae quaelibet actiones quamvis simillimae paresve sint huic fidei actioni. Sed aliud accedit. Est fides actio hominis injusti et mali, qua fit justus. Itaque quoniam ex statu et habitu malo evenit, non vere bona et perfecta esse potest; tamen Deus eam λογίζεται sive εἰς δικαιοσύνην sive δικαιοσύνην, tanquam bona sit. Non quomodo homo agat, in rationem ducitur sed quod omnino condicioni se subdit a Deo prolatae. Quia vero Paulus omnino nullas scit actiones quae bonae sint per se, sed illo judicante omnes bonae sunt quae Deo placent (pag. 23), nihil obstat, quominus fidem ex sententia Pauli bonam appellemus. [1]) Intacta manet Dei gratia, qui quoniam actionem et habitum perfectum in hominibus non potest invenire, hanc solam condicionem posuit. Tamen accedit tertio, id quod summi momenti est, quod hanc ipsam actionem fidei homo non praestat ex se ipso, sed ex viribus, quae Spiritus Sancti opera a Deo ei dantur verbo praedicato Rom. 10, 14 ss. Manet igitur perfecta Dei gratia, qui etiam ad implendam illam solam condicionem gratiae vires hominibus praebet. Quamobrem Apol. Conf. Aug. IV cum Paulo congruit, quum non solum sexcenties

---

[1]) Cf. *Thomasius, Dogmengeschichte II, p. 224: . . nicht weil er eine Tugend, ein* opus bonum *ist, was er allerdings ist.*

fidem justificare, sed etiam λατρείαν eam dicat esse (§ 49); quamvis (§ 56) recte deneget, eam justificare, quia opus sit, tamen non impedit, quominus tanquam opus describatur.

Nunc quae invenimus paucis oportet explicare et illustrare. Primo liceat de ea quaestione pauca disserere, cujus nobis qui his temporibus vivimus statim in mentem venit: qua re fides tanti pretii fiat, ut Deus eam elegerit.[1]) Partim in iis quae jam diximus, responsio inest; ex altera vero parte non potest dari responsio. In illa enim quaestione ea ipsa cogitatio invenitur quam Paulus impugnat, scilicet debere Deum ob actionem quandam mercedem homini tribuere. Si vero Paulum sequimur, Deus et actionem ipsam ex sua potestate eligit et bonam dicit et mercedem constituit, si hac voce uti licet. Laudat sane fidem apostolus, sed non ut multi solent virtutem laudare, sed quia gratiam et veritatem non rejicit, sed oboedienter accipit.[2]) Totus enim versatur Paulus in ea sententia, veritatem esse evangelium suum et ob eam rem debere fide accipi Rom. 15, 8. II. Cor. 11, 10; 13, 8; quodsi non verum esset, ipsam fidem ματαίαν futuram esse I. Cor. 15, 17 cf. v. 14. Abstractam igitur fidei notionem Paulus non novit; fides gentium et Judaeorum ἀπιστία ei videtur esse Rom. 11, 20 cf. II. Cor. 6, 14., quamvis Abrahami fidem non reprobet, quippe qui in ἐπαγγελίαν Dei de Jesu Christo datam se direxerit. Neque quaerit, quomodo cum justitia Dei possit conjungi fides, siquidem plurimi homines evangelium non audiverint neque Christum cognoverint; immo properat, ut ipse quam plurimis eum nuntiet. Sola enim fide christiana homines justos fieri et vivere persuassimum ei erat. Unde venit universalismus qui dicitur Paulinus. Jam enim Vetere Testamento provisum esse, gentes fide justificatum iri Gal. 3, 8. cf. Rom. 3, 21; Judaeos a lege redemtos esse, ut et gentes et Judaei fide filii fiant Gal. 3, 13 s. 4, 5; quare tempus quo Christus missus est πλήρωμα τοῦ χρόνου est Gal. 4, 4., tempus scilicet diu praeparatum et praedestinatum 3, 15 ss. 22 ss; quam ob

---

[1]) Cf. *Immer*, l. c. p. 290. *Ewald, Die Lehre der Bibel von Gott oder Theologie des Alten und Neuen Bundes, II, 290 s. III, 113 ss.* — [2]) I. Cor. 3, 11: θεμέλιον . . κείμενον . . Χριστὸς Ἰησοῦς. Ibidem 8, 4: εἴδωλα non sunt; non est Deus praeter unum; quin si fortasse sunt, nostra non refert v. 5. 6, cf. 10, 19 s. et II. Cor. 11, 4. Cf. *Hölemann, Bibelstudien, p. 5 ss. Philippi, Brief an die Römer, 1866, p. 126 n. Ewald, l. c. III, p. 265 s. Kübel, Der biblische Begriff der Wahrheit. 1879.*

causam magnum discrimen est inter τὸ πρὸ τοῦ ἐλϑεῖν τὴν πίστιν 3, 23 et tempus quod intercedit ἐλϑούσης τῆς πίστεως v. 25. Ob eam ipsam causam lex Mosaica non sufficit, quia non soli Judaei, sed etiam gentes justificari debent Rom. 3, 29 s. cf. c. 9. 10, de quibus pauca infra dicentur. Apparet ergo, Paulum non inanem quandam fidei formam laudare. Immo quoniam fidem actionem accipiendae gratiae esse vult, fides non est fides, nisi est gratia, nisi Deus se revelavit ipsum in Christo, nisi Christus mortuus est, ut salvaremur. Qua re longe absunt a Paulina fidei notione, qui pro Deo *ideales Leben* substituunt vel redemtionem realem (nempe psychologicam solum dictitant) in Christo datam esse negant. [1])

Quod jam vidimus in epistolis ad Thessalonicenses scriptis, id etiam in his epistolis animadvertitur, summi ponderis esse objectum vel objecta fidei. Interdum nullum objeetum dicitur, velut Gal. 1, 23; sed ex contextu apparet, in Christum πίστιν se conferre. Summum et proprium objectum est Deus ipse Gal. 3, 6; II. Cor. 8, 5., solus et verus I. Cor. 8, 4 ss., justus et justificans Rom. 3, non igitur abstractum ens absolutum, sed is qui mortuos resuscitavit II. Cor. 1, 10 et vitam futuram dabit II. Cor. 5, non quibuslibet hominibus, sed nobis — igitur noster Deus Rom. 1, 8; I. Cor. 8, 6. Idem Deus est pater Jesu Christi Gal. 4, 4., quem misit ut nos redimeret a lege et ab ira Dei; qua re alia singula objecta sunt Christus Gal. 2, 20; 3, 1 (ἐσταυρωμένος), Rom. 3, 22 ss. 4, 25., ὁ σταυρός Gal. 5, 11; 6, 12. 14., χάρις τοῦ ϑεοῦ Gal. 2, 11; accedunt bona quae Deus per Christum nobis donare vult, velut δικαιοσύνη ϑεοῦ ἐκ πίστεως Rom. 1, 17., ζωὴ αἰώνιος, resurrectio mortuorum I. Cor. 15, evangelium ipsum Gal. 1, τὰ μὴ βλεπόμενα II. Cor. 4, 18; singula dogmata I. Cor. 15, 3 ss., singula verba Dei Gal. 3., Rom. 4, 21., multa alia. Quia enim in media theologia et praedicatione Pauli fidei notio versatur, apparet, omnia quae praedicaverit, in fidem se conferre, neque esse ullas res divinas quae non ad fidem pertineant. Neque difficile ad intelligendum est, quomodo ex una propositione fidei in Deum conversae systema doctrinae oriatur: [2]) ob eam ipsam

---

[1]) Nullo jure contendit *Schulz* l. c. p. 90 ss., fidem nunquam res futuras spectare. Summo et pulcherrimo ardore describit *Rückert* l. c., objectum esse fidei illud supra notatum, sed ipse p. 264 se aliquo modo a Paulo differre confitetur. Cf. *Ewald*, l. l. p. 264 ss. — [2]) Quamobrem *Schulz*, l. c. p. XVII

causam, quod Deus non est ens abstracte cogitatum, sed Deus verus et vivus, permultae singulae res et propositiones in notitiam et memoriam et voluntatem sunt accipiendae, quas ex nostris ipsorum solis cogitationibus non possumus invenire; atque ob eam causam, quod Deus noster est per Jesum Christum atque quod Christum fide accepimus, ex hac ipsa certissima et simplici experientia multas evolvimus et concludimus alias propositiones fidei; quamobrem objecta illa singula supra notata inter se artissime cohaerent. Quare si utimur verbis eorum, qui nunc vivunt, in numero dogmaticorum invenitur Paulus apostolus. Atque etiam inter eos est, qui postulant, ut res divinas, quae per se sint, magis magisque ediscamus experiendo et cognoscendo;[1]) ipse enim saepissime vocabulo ἐγώ utens ad suam ipsius provocat experientiam, II. Cor. 12; 5, 5; I. Cor. 15, et ad ea quae lectores experti sint, Gal. 3, 2—5; venire dicit ex fide certitudinem[2]) quandam, Rom. 4, 21; II. Cor. 3, 4; 4, 13 s., quae quidem non ipsa fides sit, sed cum fide conjuncta exstet;[3]) item venire ex fide et certitudine γνῶσιν cognitionem quandam rerum divinarum, quae nunquam perfecta sit, semper crescere debeat. Illa vero γνῶσις — actionis enim fidei ipsius gradus et formae diversae sunt apud singulos homines Rom. 4, 19. 20; 14, 1 s. — debilis potest esse et infirma, sicut semper fere videtur fuisse in lectoribus epistolarum; quamobrem epistolas illas scripsit Paulus, ut γνῶσις eorum cresceret: fidem interdum laudat, cognitionis debilitatem vituperat.

Initium fidei et continuationem distinguit apostolus clarissime[4]) Gal. 2, 19 ss.; illud dicit ἀποϑανεῖν νόμῳ, hanc ἐν πίστει ζῆν, cf. I. Cor. 14, 25., ubi initium pulcherrime describitur, atque Gal. 3, 3: ἐναρξάμενοι-ἐπιτελεῖσϑε; Non igitur fides simul et incepta et perfecta est, sed primo incipitur, deinde pergit, cf. Rom. 1, 17; II. Cor. 8, 10 ss. et supra pag. 11 s.

---

dicens: *Christus und die Apostel wissen nichts von einem Glaubensformular*, quippe qui positivam his verbis rejiciat fidei indolem, cum Paulo non consentit.

[1]) Cf. *Frankii* totum librum supra laudatum, quamvis dubitari possit, num fere totum systema veritatis ex subjecto solo evolvi et debeat et possit, et *v. Oettingen*, *Antiultramontana, p. 30 s. Dorneri Glaubenslehre, p. 1 ss. Ewald, Die Lehre der Bibel von Gott, IV, 1876, p. 3 ss.* — [2]) Doleo, quod *Frank* v. d. initio libri fidem et certitudinem non expressis verbis distinxit; cf. autem § 25. Item *Dorner* l. c. p. 1 *Erfahrung*, p. 3 *Gewissheit* cum fidei ipsa actione videtur commiscere; p. 30 vero ipse dicit: *Glaubensact*, et supra p. 31: *Trieb*, quod quidem certitudinem non esse elucet. — [3]) *Schulz*, l. c. p. 64. — [4]) Cf. *Krumm*, l. c. p. 30.

Honorem Deo tribuit fidelis, oboedientiam ei praebens. Legimus enim Rom. 1, 5. 16, 26 ὑπακοὴν πίστεως, cf. II. Cor. 2, 9; Gal. 5, 7 τῇ ἀληθείᾳ πείθεσθαι cf. Rom. 1, 18; 2, 8., et Rom. 4, 18—22 (20): τῇ πίστει δοὺς δόξαν τῷ θεῷ.[1]) Invenitur enim inter objecta fidei scandalum, quod neque potest neque debet sublevari, τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ Gal. 5, 11. Etiam hac re fides probatur, quod hoc σκάνδαλον homo non reprobet, quippe quod Deus ipse voluerit esse. Qui enim Deum verum et vivum velit apprehendere, eum ne ea quidem reprobare existimat Paulus, quae non intelligat; Deum enim ratione et cognitione humana superiorem esse, cf. I. Cor, 2, 7—11; 13, 12; Rom. 11, 33 ss., II. Cor. 4, 18; 1, 9; 5, 7; 12, 9. Qua re praedicatio fidei coram hominibus non solet esse σοφία, sed μωρία I. Cor. 3, 18 s.; 4, 10; II. Cor. 1, 12; cavet Paulus, ne ἐν σοφίᾳ λόγου, philosophica scilicet oratione, praedicet, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ, I. Cor. 1, 17 ss; 2; II. Cor. 10, 5 ss. Tamen in fide vera sapientia est, in sapientia τοῦ αἰῶνος τούτου stultitia; at nemo illam potest cognoscere nisi revelatione divina I. Cor. 2, 6 ss. Non igitur existimat Paulus, unquam rationem naturalem humanam et fidem posse „reconciliari.“ Nota hoc loco, quantopere Paulus paradoxa amet, velut II. Cor. 12, 10.

Fidei opponitur lex Gal. 2, 19 s. cum operibus legis 2, 16 s. cf. 3, 23 ss., de quibus supra disseruimus. Lex vero describitur fuisse ζυγὸν δουλείας Gal. 5, 1 cf. c. 4 et γράμμα II. Cor. 3, 6 ss., cui quidem opponitur ἐλευθερία 5, 1 cf. II. Cor. 3, 17.[2]) Unde sequitur, oboedientiam illam non esse statum δουλείας, sed ἐλευθερίας, non sicut servos oboedire fideles, sed sicut filios Gal. 5, 13; I. Cor. 6, 12; 9, 1 ss. (et Joh. 8, 35. 36). Ob eam causam, quod soli Deo homo fidelis servit, hominibus neque vult neque debet

---

[1]) Ad ea quae supra dicuntur haec addo. II. Cor. 1, 8 ss: ἵνα μὴ πεποιθότες ὦμεν ἐφ' ἑαυτοῖς ἀλλ' ἐπὶ τῷ θεῷ, cf. 11, 30; 12, 9. — 7, 15 laudatur φόβος καὶ τρόμος. 8, 5: ἑαυτοὺς ἔδωκαν πρῶτον τῷ θεῷ. Infideles προσέκοψαν, suam ipsorum voluntatem sequentes Rom. 9, 30—32. Cf. supra pag. 21 n. Huc pertinet, quod fere omnes theologi biblici qui dicuntur fidem dicunt esse *„Hingabe“*, velut *Dähne* l. c. p. 84 cf. *Schulz p. 107: die freie Anerkennung der übersinnlichen Welt. Baur, Paulus II, 257: Abstrahiren von sich und seiner Subjectivität. Usteri p. 409:* ὑπακοή. *Rückert* ad Rom. 4, 5 (cf. *Baur*, l. c. p. 171) et *Lipsius* l. c. p. 120 ss. huic fidei figurae plus quam Paulus videntur tribuere. *Apologia Conf. Aug. IV, 49:* λατρεία, quae accipit a Deo oblata beneficia. — [2]) *Schmid, Bibl. Theol. 1864, p. 570. Lutterbeck, II, 87.*

servire nisi amoris causa Gal. 5, 13; non decet hominem christianum servum esse hominum I. Cor. 7, 23., ne apostolorum quidem I. Cor. 3, 21—23 cf. 4, 3—5; II. Cor. 1, 24., qui magni aestimandi sunt tanquam patres et paedagogi I. Cor. 4, 14 s. cf. 21; II. Cor. 8, 5., sed non tanquam domini. Soli Deo serviunt fideles, secundum suam quisque ipsius cognitionem et arbitrium, nemine intercedente, cf. Gal. 6, 4. 5; Rom. 8, 35 s., I. Cor. 10, 29. [1])

Totius hominis actio fides est. [2]) Saepissime ἐγώ apud Paulum reperitur, non tanquam superbus et immodestus fuerit, sed quia neminem voluit ignorare, sese totum in fidei actione versari, cf. Gal. 2, 19; 5, 2; I. Cor. 8, 13. Μετάνοια enim fit in eo qui fidei se tradit Rom. 2, 4 cf. II. Cor. 7, 9. 10; 4, 2. 16; postea non idem est atque antea, quamvis idem sit; vetus ἐγώ mortuus est: ζῶ (: ego vivo) δὲ οὐκέτι ἐγώ ego vivo non jam ego: novus ἐγώ adest fide cum Christo conjunctus Gal. 2, 20 cf. 6, 14. Totus homo fidelis in fidei actione est et vivit tanquam avis in aëre vel piscis in aqua Gal. 2, 20 cf. II. Cor. 13, 5; quamobrem vere fideles dici possunt οἱ ἐκ πίστεως sc. profecti Gal. 3, 7 cf. I. Cor. 1, 21 et socii fidei οἱ οἰκεῖοι τῆς πίστεως 6, 10. De corde enim agitur in fide, non de externa specie Rom. 2, 16. 28 s.; 10, 10; Gal. 4, 6.

Caveamus vero, ne in tractanda fide opus Dei negligamus. Est quidem fides opus Dei, pleniore etiam sensu quam Pauli opus fides Thessalonicensium dici potest. [3]) Quod ubi respiciendum est, non voce

---

[1]) Cf. *Baur, Paulus, II, p. 294 ss: „Einiges über Pauli Individualität,"* praecipue p. 297: *Selbständigkeit und Autonomie,* sed p. 300 verbis Hegelianis: *Autonomie der Vernunft* — atque *Lutheri* libellum praeclarum de libertate christiana. *Holsten, Zum Evangelium Petri und Pauli (1861 ss.) p. 84 ss. Ewald, l. c. III, 291 ss. Geschichte des Volkes Israel, VI, 1868, p. 414 ss.* — [2]) Idem *Baur,* l. c. p. 250 cf. 172. 161 s. *Neut. Theol. p. 154 s.* falso dicit, eam esse *„wesentlich historischer Natur", „eine blosse Meinung."* Immo conferantur *Schulz,* l. c. p. 72: *keine blosse Function des Denkvermögens, 108: er muss sich gleichmässig aller Seelenvermögen bemächtigen. Krumm* l. c. p. 31: receptaculum spiritus . . humanus ipse et per se est, non ejus organa, cf. p. 33; atque notissima dogmaticorum definitio: notitia, assensus, fiducia. — [3]) Huc pertinet, quod *Leo* in libro nuper edito, cui inscribitur *„Meine Jugendzeit"* (1880, p. 70) pulcherrime scribit: *„Der Glaube ist eine That Gottes im Menschen"* etc. Cf. *Ewald, Lehre von Gott, III, 259 ss. al.*

fidei utitur Paulus, sed vocibus electionis, vocationis, gratiae, aliis, de quibus quidem non scribo; contra ubi de fide agitur, semper spectatur actio humana gratiae divinae respondens, ut in definienda fide voces doni sive operis divini adhibendae non sint. Nonnulla liceat de hac re commemorare. Nemo in actione fidei esse potest, nisi revelatione divina facta I. Cor. 1, 7; 2, 6 ss. cf. Rom. 1, 18. 17. Ne tum quidem homo ψυχικὸς δέχεται I. Cor. 2, 14; 3, 1 ss.; immo Deus eos, qui κατὰ πρόθεσιν κλητοί sunt (cf. pag. 30), quos scilicet προέγνω, καὶ προώρισεν, καὶ ἐκάλεσεν Rom. 8, 28—30. Aeterna igitur Dei actio eligendi et praesens Dei actio hominis ad fidem per evangelium vocandi Gal. 5, 8. 13; Rom. 1, 6 s. 21; 10, 14 ss.; I. Cor. 2; II. Cor. 5, 20 sunt causae fidei. De opere Christi non opus est disserte dicere, utpote quod semper fundamentum et objectum fidei sit, cf. Gal. 2, 20; Rom. 7, 24 ss.; I. Cor. 6, 11. Denique, id quod gravissimi est momenti, ne actio fidei quidem ipsa in homine nisi Spiritu Sancto adjutore atque ἐν δυνάμει θεοῦ aut fieri potest Rom. 8, 2; I. Cor. 2, 4. 5. 12. 13. 14; 3, 1 ss.; 12, 3., aut continuari Rom. 16, 25; I. Cor. 1, 8; 3, 6 ss. Quae quum ita sint, summo jure quaerit apostolus I. Cor. 4, 7: τί ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες; Sumus enim θεοῦ γεώργιον, θεοῦ οἰκοδομή 3, 9 et ἐπιστολὴ Χριστοῦ II. Cor. 3, 3; Χάρις τῷ θεῷ inquit ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ II. Cor. 9, 15. Deus omni ex parte causa et objectum fidei est, sed subjectum fidei, is qui in ipsa fidei actione agit, est homo, non Deus. Quomodo vero omnino agere possit et quomodo actio humana fidei cum opere gratiae divinae cohaereat, hoc loco pluribus explicari non potest.

Deinde quod homini fideli bona coelestia donantur [1]), non ad fidei notionem ethicam ipsam quidem pertinet, sed ad ea, quae fidem sequuntur vel fide apprehenduntur. Evangelium praedicatum, quod fide accipitur, δύναμις θεοῦ est Rom. 1, 16; amor Dei effunditur in cordibus per Spiritum Sanctum iis donatum, qui credunt 5, 5; Christus est vocatis θεοῦ δύναμις et θεοῦ σοφία I. Cor. 1, 24 cf. 18; 2, 5; 4, 20. Cum Christo intime conjunguntur fideles Gal. 2, 20; II. Cor. 13, 3 ss. et in eum baptizantur Gal. 3, 27; mittitur Spiritus filii Dei in corda eorum 4, 6 cf. 4, 19; 5, 24; 6, 17; I. Cor. 2, 12 6, 15. 19; II. Cor. 11, 1 ss.; 13, 1 ss. Quare πνευματικοί appellantur

---

1) *Usteri, p. 408. Krumm, l. c. §. 9.*

fideles Gal. 6, 1., quia πνεύματι ἄγονται Gal. 5, 18; Rom. 8, 14. Non dubitant fideles, quin Spiritum acceperint; utitur enim accepto Spiritu Paulus tanquam firmissimo argumento Gal. 3, 2. 5. Ex iisdem versibus intelligitur, fidem quodammodo praecedere acceptum Spiritum, sed Spiritum statim consequi actionem fidei; quaeritur enim: ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως cf. v. 14 διὰ τῆς πίστεως; Versus 5. etiam hoc demonstrat, non semel Spiritum dari, sed fideli semper denuo suppeditari, cf. II. Cor. 4, 16; contra ex I. Cor. 2, 14 al. cognoscitur, Spiritum Sanctum etiam antecedere fidem ejusque esse causam (cf. supra p. 39). Brevissime vero et aptissime ea quae Deus facit in eo qui fidei actionem praestat consummantur II. Cor. 5, 17 cf. Gal. 6, 15: εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονεν καινὰ τὰ πάντα, cf. II. Cor. 3, 5 s., et Rom. 14, 8: τοῦ κυρίου ἐσμέν.

Denique vitam fidelium[1]) inspiciamus. Sunt justi coram Deo, placent Deo, Rom. 1, 17; 14, 18; I. Cor. 2, 16; 14. 18; quae faciunt, ei placent atque ob eam causam bona sunt, cf. pag. 28. Novae creaturae sunt, Spiritum Sanctum habent, cum Christo conjuncti sunt. Sed etiam nunc possunt cadere I. Cor. 10, 12., scilicet e gratia divina intermissa fide Gal. 5, 4; etiamnunc ἐν σαρκί vivunt Gal. 2, 20., quae dicitur σὰρξ ἁμαρτίας Rom. 8, 3; nondum id quod describitur Rom. 7 [2]) σῶμα τοῦ θανάτου egressi sunt; habent παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ 8, 18., sunt ἀσθενεῖς I. Cor. 3, 2; II. Cor. 12, 10. Jam quaeritur, quid hominibus christianis faciendum sit, dum in mundo sunt, ut vitam aeternam adipiscantur. Respondetur ex mente Paulina: Nihil faciant, quo aeternam vitam adipiscantur, sed agant, ut quam habent teneant; caveant, ne amittant Rom. 6, 23; Gal. 6, 14; I. Cor. 4, 1. 2. Currant in stadio, in quo sunt, neve lassentur I. Cor. 9, 24 ss., viribus donatis usque ad finem utentes; agant, quia possunt I. Cor. 4, 20. [3]) Caveant, ne donis divinis aut contemtis aut male adhibitis Dei majestatem laedant; quia possunt,

---

[1]) *Schmid, p. 568.* — [2]) Cf. *Fricke, l. c. p. 53, n. 43.* — [3]) Addo haec. Gal. 5, 22 ss.: opera bona nihil sunt nisi fructus. Donis obligati sunt christiani: ὀφειλέτης est Paulus Rom. 1, 14; vae ei, si non praedicaret I. Cor. 9, 16. Obligati sunt initio fidei, ut in fide pergant Gal. 3, 3; obligati sunt Spiritu accepto ib. et cognitione Dei 4, 9. Gal. 5, 25: εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. I. Cor. 6, 1. 2 cf. 1, 8: Agant sancte, qui sancti sunt. II. Cor. 7, 1: Promissiones habentes καθαρίσωμεν ἑαυτούς. I. Cor. 7,

debent; agant ut velint. Hoc vero solum omnibus in rebus quaerant, ut Dei honorem augentes ei semper placeant II. Cor. 5, 9., carnem vero impugnent Gal. 5, 16 ss. In hoc enim stat fidei actio prima (pag. 5 ss. 30), ut Dei gratia accipiatur; in tenenda gratia pergat homo fidelis, ut justus non factus solum sit, sed maneat. Oportet crescere, oportet bellare I. Cor. 9, 25; Christum oportet magis magisque in nobis μορφωϑῆναι Gal. 4, 19. Vult autem Deus ut fratres amemus, quare sola πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη ἰσχύει τι coram Deo Gal. 5, 6 cf. I. Cor. 10, 24. Haec enim est voluntas Dei nunquam solvenda II. Cor. 5, 10 cf. pag. 20; quam qui sequitur, σπείρει εἰς τὸ πνεῦμα et ϑερίσει ζωὴν αἰώνιον Gal. 6, 8 vel bene aedificatus est in bonum fundamentum I. Cor. 14, 3 al. Videmus eandem semper fidei notionem, actionem scilicet apprehendendi semper denuo Deum et ejus dona. [1])

Jam oritur quaestio, quomodo singula explicentur postulata ex generali fidei notione [2]) sive ex sola regula ethica in fide conclusa: πάντα εἰς δόξαν ϑεοῦ ποιεῖτε I. Cor. 10, 31. Si enim fide gratia Dei ita accipitur, ut omni merito excluso solius Dei servetur honos, vitam fidelis ita aget, ut omni merito excluso gratiam Dei velit tenere, solius Dei quaerens gloriam eas probans vires spirituales, quas Deus ipse ei dedit. Postulat quidem apostolus Gal. 5, 1: τῇ ἐλευϑερίᾳ στήκετε καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσϑε. Sed addit v. 13: μόνον μὴ τὴν ἐλευϑερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. ὁ γὰρ πᾶς νόμος κτλ. cf. v. 19—21; 6, 12; Rom. 3, 8. Supra enim (p. 19 ss.) demonstravimus, hoc postulare Deum semper, hoc esse verum δικαίωμα legis Mosaicae. Gratiam suam quum Deus hominibus dederit, ita dedit, ut hoc δικαίωμα non neglexerit quippe quod non in justificatione

---

15: In pace vocati pacem teneamus; 6, 15. 19; 3, 16 s.: corpora nostra quia Dei sunt ne profanemus; 5, 7: sitis νέον φύραμα, sicut estis ἄζυμοι, II. Cor. 6, 1: gratiam Dei accepimus — μὴ εἰς κενόν I. Cor. 10, 14 ss.

[1]) *Lipsius, l. c. p. 196: Die unbefangene Gegenüberstellung von Glauben und Werken ist gar nicht so unpaulinisch als man meint;* cf. *ib. p. 125 ss. Fricke, l. c. p. 6.* Cavendum est, ne ex sola fidei forma justitia vitae construatur, sicut *Rückert* obstante *Baurio* conatus est. Notum est, rem difficilem esse; ex inani autem certe fidei notione nullae possunt hauriri regulae; sed fidei notioni gratia respondet et revelatio divina. — [2]) In hac re tantopere offendit *Ritschl*, ut Paulo dicat opus fuisse suae ipsius doctrinae fines egredi *Altkath. Kirche, 102 s.* Cf. *Ewald, Lehre von Gott, IV, p. 113 ss.*

quidem, sed post justificationem ab homine peccatis remissis et viribus divinis datis possit observari. Legem Mosaicam sustulit; ipsum decalogum Rom. 13, 8—10 clarissime redegit in unum postulatum amoris. Tamen libertatem cum libidinibus non confundit; immo ex ipsa fidei notione singula officia haurit apostolus. Non debet quidem homo praeceptis et legibus ullis oboedire ita ut iis observandis promereatur quidquam coram Deo; sed vult liberrime Dei observare voluntatem, quin non potest quin observet. Peccatis remissis homo fidelis vitabit omnia quae statum peccatorum restituent, sub dominationem mundi eum reducent, carnem corroborabunt. Quia deinde ad Deum oboedienter se convertit vivum et verum, ex institutis et donis divinis cognoscet homo fidelis, quid Deus velit. Quia fides actio ipsius hominis est, non potest homo agere nisi secundum suam cognitionem et conscientiam. [1]) Quia inter alios homines atque fratres fideles versatur, non sibi ipsi soli, sed iis potius proderit, ut et ipsi omnibus in rebus possint Deo servire. Qua re dicit Paulus: πάντα μοι ἔξεστιν, sed addit: ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει, I. Cor. 6, 12 cf. 10, 23; 3, 22; 7, 5. 35; 8, 9. 13; 9, 12. 19; Rom. 14, 13 ss; II. Cor. 8, 10. 13 ss; 4, 2; 5, 11. Τὸ συμφέρον semper spectandum est fidelibus Rom. 12, 10., scilicet qua re aedificentur ipsi et fratres II. Cor. 12, 19. Itaque ex sua ipsius libertate homo fidelis se ipsum coërcet. Atque quia adhuc in „carne peccati" vivit, libertatem non semper intelligit; ea quae vult tanquam justus, saepe non vult vetus ejus ἐγώ, quare legem quandam sibi ipsi debet praescribere, cf. Rom. 7 et supra p. 40 s. Unicuique autem (Gal. 6, 4; Rom. 14, 12) sua ipsius συνείδησις (I. Cor. 8, 7 cf. 4, 4; 10, 25. 29; II. Cor. 1, 12 cf. Rom. 14, 5; II. Cor. 9, 7) in singulis rebus viam demonstret. Deinde respiciantur charismata (I. Cor. 7, 7 cf. 12, 27) uniuscujusque (Rom. 12, 3 ss.) et munus in quod vocatus est (I. Cor. 7, 17 ss. 24), dona Dei naturalia (I. Cor. 7, 36 ss. II. Cor. 8, 12) et spiritualia (I. Cor. 12; 14, 26) et instituta divina (διαταγαί Rom. 13, 2), sicut domus (I. Cor. 7), res publica (Rom. 13, 1 ss.), ecclesia (I. Cor. 11, 22. 27—30; 14). Ex omnibus his rebus eveniunt homini fideli officia, quae certissime scit implenda sibi esse: ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται inquit Paulus I. Cor. 9, 16. Quibus in rebus si voluntati Dei sibi propositae paret, fidem praebet, πιστός est I. Cor. 4, 2., ἔννομος

[1]) Cf. *R. Hofmann, Die Lehre von dem Gewissen, 1866, p. 35 ss.*

Χριστοῦ 9, 21 cf. 7, 28. 36. Quodsi singulae ἐπιταγαί et ἐντολαί Domini afferuntur vel si Paulus ipse nonnullas res praescribit (cf. I. Cor. 7; II. Cor. 9 et supra pag. 18), nihil nisi regulae (I. Cor. 7, 25) sunt ad fidem probandam (II. Cor. 8, 8) et peccatum opprimendum Gal. 5, 24; I. Cor. 9, 27; 7, 1.[1])

De fide, spe, caritate[2]) haec fere habeo. In epistolis ad Thessalonicenses scriptis Paulus conjunxit has tres virtutes christianas, fidem vero principalem existimavit (supra pag. 4). Denuo conjungit loco praeclarissimo I. Cor. 13, 13., amorem vero majorem esse dicit; charismata perire, fidem, spem, caritatem manere. Sine caritate nihil valere omnia charismata, ne fidem quidem charisma illud, quo montes transponantur 13, 2 vel alia miracula fiant 12, 9. Fuit igitur certa fidei species inter Corinthios, in qua actio humana singulari quodam modo conjuncta erat cum donis divinis Rom. 12, 3., ut donum Dei potius quam actio hominis esset: talem fidem quidquam valere negat Paulus, nisi cum amore conjuncta sit, siquidem fides δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη ἰσχύει τι Gal. 5, 6. Caritas igitur certe non est inter opera illa legis, quae impugnat Paulus, cf. pag. 21. Ne qui putavit Paulus, hoc quemquam existimaturum esse; quin ne praevidet quidem, interrogatum iri, quomodo inter se cohaereat, quod fidem laudet quae sola Deo placeat et quod amorem efferat, qui etiam major sit fide: videmus, in fide Paulina amorem inesse, siquidem fides tanquam actio assumendi sibi Dei non potest secerni ab amore velut actione tradendi sui totius Deo. Tamen si justificatio describitur, respicitur actio assumendi sive oboediendi, contra si vita christiana et virtus respicitur, major quodam modo est

---

[1]) Singulis officiis respondent singula peccata quum aliis locis enumerata tum Rom. 1; I. Cor. 5, 11; 6, 9—11; II. Cor. 5, 10. Omnibus vero peccatis ἀτιμάζεται Deus, quippe qui blasphemetur inter gentes Rom. 2, 23 s. — E contrario christiani utuntur rebus terrestribus tanquam non habentes I. Cor. 7, 29 ss., vivunt Domino Rom. 14, 7 ss., ei offerunt corpora sua θυσίαν ζῶσαν ἁγίαν 12, 1. Scortatio evitetur, quia corpus nostrum Domini est I. Cor. 6, 13. Singulae regulae nihil nisi τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ volunt 7, 35. 39. Τὰ γὰρ πάντα δι' ὑμᾶς, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα .. τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ II. Cor. 4, 15. Haec est ethica christianorum regula e fidei illa notione prolata. — [2]) *Baur*, Paulus II. p. 249 ss. *Zöckler* l. c. p. 82. *Krumm* p. 38. *Usteri* p. 247. *Lipsius p. 198 ss. Ewald, Lehre von Gott, IV*, p. 108 ss. Cur his tribus utatur apostolus praecipue notionibus, nondum satis cognitum mihi videtur.

traditio; accepta enim gratia non semper denuo accipi solum debet, sed probari etiam et augeri communione cum Deo facta. Fides justificat; ex amore fides cognoscitur, quare ἀγάπην debemus διώκειν I. Cor. 14, 1; cf. 8, 3; 16, 22. II. Cor. 5, 14. Amor hominum, non Dei, sed propter Deum, intelligitur Gal. 5, 6. 13 cf. II. Cor. 5, 14 et quae pag. 42 dicta sunt.

Ne ἐλπίς [1]) quidem a fide potest separari. Est enim fidei in misera vitae condicione probatio, actio tenendi Dei obstaculis oppositis, fides igitur certo modo descripta. Gal. 5, 5 ἐλπίς sensu praegnanti idem est quod speratum, quod quidem ἐκ πίστεως dicuntur ἀπεκδέχεσθαι fideles: nemo habet quod jure speret nisi qui credit; nemo sperat vere nisi qui credit; futurum spectat spes, non praesens; quod non spectari potest nisi fide. Cf. Rom. 4, 18: ὃς (Abraham) παρ᾽ ἐλπίδα ἐπ᾽ ἐλπίδι ἐπίστευσεν, quod enuntiatum legitur in expositione quae est de sola (!) fide. Rom. 5, 1 πίστις conjungitur cum ὑπομονῇ et ἐλπίδι v. 4 et ἀγάπῃ v. 5, ut intelligatur, fidem diversis e partibus posse spectari et multas actiones parere. Cf. 8, 24 ss. 12, 12. II. Cor. 1, 6. 10; 3, 12.

Omnia igitur, quae Paulus docet, ex una fide profert et cum fide conjungit. Simplicissimam habet fidei notionem, sed non inanem, immo multis modis fidem vult celebrare, multitudinem sententiarum e fide explicare; quoniam enim Deus est is, quem homo fidelis sibi assumit, tot et tanta et talia in fide sunt, quot et quanta et qualia in Deo et in iis omnibus rebus quas Deo placuit vel creare vel revelare vel imperare. Quae quum sciat, Paulus apostolus distinctissimam habet fidei notionem, sed non ita eam explicat, ut omni careat difficultate.

Unum restat. Fides est actio hominis. Homo vero agere non potest nisi donis a Deo datis et naturalibus et spiritualibus, quin servus Dei omnino est. [2]) Itaque re vera si causam ultimam respicimus, Deus videtur is esse, qui fidem efficiat, ut fides actio Dei sit? Nonne gratias agit Deo apostolus pro fide eorum qui epistolas accipiant Rom. 1, 8; I. Cor. 1, 4., nonne preces ad eum mittit

---

[1]) *Usteri* l. c. p. 252. *Zöckler*, De vi ac notione vocabuli ἐλπίς in novo testamento 1856. *Ewald* l. c. p. 118. — [2]) *Baur*, Paulus II, 282 ss., praesertim 289 s.: *dass der Apostel . . . beide Momente nur unvermittelt neben einander stehen lässt. Lutterbeck II, 210 ss. Supra p.* 9 *s.* Cf. *Kahnis*, *Dogmatik*, *2. ed., II, p. 255.*

pro eorum fide Rom. 1, 9; nonne portam apertam se invenisse dicit II. Cor. 2, 12., apertam scilicet a Deo? Quin èodem capite Rom. 1, 19—32 et servi (ἐματαιώθησαν, ἐσκοτίσθη, ἐμωράνθησαν) et liberi homines describuntur (ἤλλαξαν, οὐκ ἐδοκίμασαν). Quaeritur etiam, cur non omnes homines justi reddantur. Cur enim non omnibus hominibus dona spiritualia Deus dat, ut plane liberi fiant arbitrii et ad Deum se convertere possint? Vel quomodo cogitari potest, quemquam plane liberi factum arbitrii et Deum bene cognoscentem eum reprobare?

Longum est has difficultates dissolvere, neque debeo; nam Paulus non disserte rem tractat. Haec sufficiunt: antinomias quae oriuntur ex respicienda Dei omnipotentia justitiaque et amore atque ex hominum arbitrio et actione libera (modo supra exposito) Paulus et ipse bene cognoscit. Modo alteram partem effert laudibus, modo alteram, ut neutra pars negligatur. Hominem servum videtur statuere Rom. 9 et 11, praesertim 9, 11. 15 ss. Sed ne ex his quidem expositionibus libertatem hominum omnem voluit delere; nam v. 12. legitur ἐκ τοῦ καλοῦντος atque v. 22: ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς. Quin ipsum vocabulum ὀργῆς homini libertatem quandam vindicat. Problema vero ipsum describitur 9, 19: ἐρεῖς μοι οὖν· τί οὖν ἔτι μέμφεται; τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκεν; hoc est: nonne voluntate absoluta Dei libera hominum voluntas omnino tollitur, ut non debeant vituperari, ut etiam fides eorum actio non sit? Respondet vero Paulus: μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ; Maneat voluntas Dei absoluta. Potest Deus facere, quae vult, eligere quos vult. Tu non habes jus ei contradicendi. Sed contradicis: facis, quod non debes; agis contra Dei voluntatem, dum quaeris de illa antinomia; quaerendo te liberum praebes; mittas igitur ejusmodi cogitationes, antinomiam agnosce — credendo, fide (p. 37).

III.

Aggredimur jam ad epistolas **Ephesiis Philippensibus Colossensibus Philemoni** missas. De quibus non multa dicenda videntur. Constat enim, non explicite his epistolis de fide agi.

Similiter res se habet atque in epistolis ad Thessalonicenses scriptis. Satis igitur erit, paucis demonstrare, non aliam hic inveniri fidei notionem.

Primo vero negligi non debet, fidei ipsius notione illis prioribus et majoribus epistolis satis disquisita ad fidei fundamenta et objecta ipsa Paulum jam recedere et ad modum fidei praebendae transire. Multa enim scribit de toto opere Dei Eph. 1. Phil. 2 inde ab aeterno Dei decreto usque ad verbi divini praedicationem perpetrato, non pauca de ecclesia societate fidei Eph. 4; multas regulas praescribit et admonitiones dat: ut inter se ament fideles Col. 3; ut gaudeant in fide versantes, ubique in epistola ad Philippenses missa. Non enim Paulus is erat qui fidei formam efferret, materiem negligeret vel tolleret; immo quia ipse vere fidelis erat, ea in quae fides se dirigebat, multo gravioris momenti ei videbantur quam fides ipsa, ut supra (p. 35 al.) vidimus non propter formam agendi fidem laudari, sed quia in Deum se dirigat verum et vivum.

Qua re primo invenitur, fidei actionem fieri non posse nisi ex gratia Dei, viribus ab eo datis Eph. 1, 13. 19; c. 2; 3, 20; Phil. 1, 6; 2, 13; 4, 13; Col. 1, 11 al. Sunt enim homines τέκνα φύσει ὀργῆς Eph. 2, 3., quia sunt υἱοὶ τῆς ἀπειθείας v. 2. et νεκροὶ τοῖς παραπτώμασιν v. 1. 5. cf. 4, 17. 18. Deinde vero Deus eos συνεζωοποίησεν τῷ Χριστῷ . . καὶ συνήγειρεν καὶ συνεκάθισεν κ. τ. λ. v. 5. 6. Quod vero v. 5. additur χάριτί ἐστε σεσωσμένοι cf. v. 7., idem accuratius dicitur v. 8—10., ubi τῇ χάριτι delineatur verbis διὰ τῆς πίστεως; χάρις igitur et πίστις inter se cohaerent, sed non eaedem sunt: respondet actio humana actioni divinae. Adduntur vero: οὐκ ἐξ ὑμῶν, θεοῦ τὸ δῶρον. Si igitur actio fides est hominum, tamen non ex iis ipsis est, sed talis ut σωτηρία (non fides ipsa) donum δῶρον Dei maneat, omne meritum excludatur; si ἔργον quoddam est, tamen non inter ἔργα v. 9 cf. supra pag. 21, ἵνα μή τις καυχήσηται· αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς cf. pag. 40. Actio igitur hominum intelligi non potest nisi regeneratorum vel potius liberatorum a Deo, ita vero ut viribus gratis (χάριτι) donatis hominis ipsius fide (διά v. 8) hae ipsae vires et omnia dona divina assumantur, et ut regenerationem ἔργα ἀγαθά hominum sequantur v. 10. Qua re admonentur Ephesii 4, 22 ἀποθέσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον et ἀνανεοῦσθαι v. 23 et ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα v. 24;

sicut enim acceperunt Jesum Christum initio Col. 2, 6., ita debent in ejus usu pergere Phil. 3, 12 ss.

Πιστοί enim ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Eph. 1, 1., ἀκούσαντες τον λόγον ἀληϑείας . . καὶ πιστεύσαντες v. 13 cf. 15. 19 non in ἀπειϑείᾳ permanent 2, 2; 5, 6., sed filium Dei accipiunt 4, 13 et evangelium Phil. 1, 27 et ἐνέργειαν ϑεοῦ τοῦ ἐγείραντος Χριστόν Col. 2, 12., et deinde firmissime tenent Col. 2, 5. 7. Moriuntur τῷ κόσμῳ ii qui fideles fiunt, scilicet σώματι τῆς σαρκός Col. 2, 11. 12 et τοῖς παραπτώμασι Eph. 2 et legi Mosaicae Eph. 2, 15; Col. 2, 14—23., non ipsorum voluntatem superbi sequentes εἰκῆ φυσιούμενοι ἀπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκός v. 18., κατὰ τὰ ἐντάλματα . . τῶν ἀνϑρώπων v. 22 . . ἐν ἐϑελοϑρησκείᾳ v. 23., sed τὰ ἄνω quaerentes 3, 1., ut confiteantur v. 11: τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν Χριστός. Deo vero et vivo omnem tribuunt honorem; ad eum se totos convertunt; oboediunt; convicti non tenent voluntatem propriam. Neque propriam justitiam. Confitetur enim Paulus apostolus fidelis Phil. 3, 9: καὶ εὑρεϑῶ ἐν αὐτῷ μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐ κνόμου ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ ϑεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει. Inest igitur in fide haec confessio: non habeo ἐμὴν δικαιοσύνην, injustus sum, vel non justus fio ex lege cf. p. 22; sed habeo justitiam ἐκ ϑεοῦ cf. pag. 26 per fidem christianam sive fundatam in fide; nemo potest justum me reddere nisi Deus; nullo modo possum in justitiam intrare nisi fide, cf. pag. 29 ss. et haec loca: Eph. 1, 5 υἱοϑεσία, v. 7 ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν, v. 11 ἐκληρώϑημεν, 12: ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγήν . . διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, Col. 1, 13: μετέστησεν.

Quia vero fide christiani in novum statum gratiae et in communionem Christi Col. 3 init., in fructum bonorum spiritualium Eph. 3, 16 ss.; 4, 7 intraverunt, possunt vere bene agere et Deo placere Eph. 5, 8. 9; 6, 13—17; Phil. 4, 11—13. Sed quoniam adhuc σῶμα τῆς ταπεινώσεως Phil. 3, 21 habent neque jam perfecti sunt 1, 6; 3, 12., non solum possunt, sed etiam debent μετὰ φόβου καὶ τρόμου κατεργάζεσϑαι τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν 2, 12., ποιοῦντες τὸ ϑέλημα ϑεοῦ ἐκ ψυχῆς Eph. 6, 6. 10 ss.; scilicet: πᾶν ὅτι ἐὰν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ Col. 3, 17. 23 — εἰς δόξαν ϑεοῦ πατρός Phil. 2, 11 et 2, 4: σκοποῦντες . . καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστοι. Singulae vero regulae denuo explicantur ex donis et institutis divinis singulis singulatim, cf. Col. 3, 18—4, 1; Eph. 5, 22—6, 9; cf. pag. 41 ss.

IV.

In **pastoralibus** quae dicuntur **epistolis** concedendum est ubi primo inspiciantur aliam videri esse fidei notionem. In aliis enim illis epistolis, quatuor scilicet magnis et principalibus, fides laudatur opposita legi et operibus. His vero epistolis admonentur Timotheus et Titus et quibus ab iis praedicandum erat, ut versentur in bonis operibus I. Tim. 5, 25; 6, 18; Tit. 2, 7; 3, 8. 14; II. Tim. 2, 21; Timotheum admonet is qui scripsit, τηρῆσαι τὴν ἐντολὴν ἄσπιλον ἀνεπίληπτον I, 6, 14; neminem dicit στεφανοῦσθαι nisi qui non ἀθλῇ solum, sed νομίμως ἀθλῇ II, 2, 5., sicut se ipsum affirmat τὸν ἀγῶνα καλὸν ἠγωνίσθαι, . . ἀποκεῖσθαι αὐτῷ τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον II, 4, 7. 8. Adde quod saepe postulat, ut ὑγιαίνοντες in fide fideles sint, cf. Tit. 2, 2., et quod etiam in notione εὐσεβείας saepe repetita bona opera insunt.

Tamen non omnino alia fidei notio in his invenitur epistolis; nulla adest causa, cur aut illam supra inventam definitionem rejiciamus aut, si non possimus, propter fidei mutatam notionem (de aliis argumentis criticis hoc loco non disputatur) has epistolas non Paulinas esse dicamus. Notionem fidei ipsam non explicite tractari concedimus; ea quae explicantur priori illi notioni omnino opposita esse neque cum ea conjungi posse negamus. Nam ne in illis quidem epistolis bona opera apostolus vetuit; contra si his epistolis bona opera postulat praecipue, fidem non negligit, sed bonis operibus probandam esse demonstrat; fuerunt enim, qui propter fidei notionem male intellectam opera negligerent.

Accedit vero quod ὀρθοδοξίαν quandam laudat is, qui has epistolas scribit, II. Tim. 3, 14 ss. al. Sed ne in illis quidem epistolis veritatem recte accipiendam neglexit (pag. 34), quamvis de modo docendi nihil scripserit nulla data occasione. Quia vero non de inani aliqua fidei forma agit Paulus, sed de rebus quibusdam sive objectis divinis quae debeant fide accipi et cognosci, omnino non potest existimare, nihil interesse, quid doceatur, tanquam multae sint veritates, immo sicut unum Deum unam habet veritatem quam oporteat bene cognoscere et bene docere, falsis reprobatis fabulis I, 1, 6 al.

Certe alius hic videtur esse modus docendi atque illic. Illic gratiam et potestatem Dei fere solam explicat, hic ad libertatem hominum fere

solam revocat. Sed teneamus: fere solum. Sunt duae veritatis partes quas difficile est cognoscere et conjungere: antinomiam denuo invenimus. Noluit Paulus nullo modo sibi contradicens videri, ut systema voluerit tenere etiamsi veritas ipsa pereat; nihil ejus referebat, alias aliam veritatis partem praecipue demonstrari, ut nonnisi duabus conjunctis partibus tota veritas appareret.[1]) Qua re non habeo cur dicam, propter fidei notionem has epistolas a Paulo scriptas esse non posse.

Ceterum etiam in his tribus et ultimis epistolis fidei illa notio fundamentum est totius demonstrationis omniumque postulatorum.

Locus principalis est Tit. 3, 4—8. Deus ibi appellatur σωτήρ v. 4., quia ἔσωσεν ἡμᾶς οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, sed κατὰ τὸ αὐτοῦ ἔλεος, scilicet διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου κτλ. Opponitur igitur opus divinum operibus nostris (ἡμεῖς in fine propositionis urgetur): non salutem nobis dedit talem, qualis ex operibus a nobis in justitiae statu factis oriatur. Neque dicit is qui scripsit, re vera esse ejusmodi justitiam vel ejusmodi opera, siquidem etiam pronuntiantibus nobis contradictionem in adjecto in his verbis inesse statim apparet, sed ponit, ut statim tollat; etiamsi essent, ex iis operibus salutem tamen negat proventuram esse, sed ex gratia Dei dicit provenire nos regenerantis; versu 7. quamvis difficile sit ad dicendum quomodo ἀνακαίνωσις et δικαίωσις inter se cohaereant[2]), tamen sine dubio homo dicitur δικαιωθῆναι (cf. I. Tim. 3, 16 et supra pag. 25 s.) i. e. in novum statum transponi, et heres fieri gratiâ Dei; qui quidem λόγος dicitur v. 8, cf. I. Tim. 1, 14—16., locus principalis doctrinae christianae. Quodsi opera humana his epistolis urgentur, urgentur salva Dei gratia et excluso omni merito humano cf. Tit. 2, 11—14. Sed cum gratia divina eodem versu 8. optime conjungitur actio humana. Christiani enim dicuntur πεπιστευκότες, quippe qui actione πίστεως semel facta et usque in praesens tempus continuata christiani facti sint: opus igitur divinum, scilicet τὸ σῶσαι, ἡ παλιγγενεσία, ἀνακαίνωσις, τὸ δικαιοῦν, non separatur a fidei actione humana, cf. I. Tim. 1, 14; 1, 15: ἀποδοχή, 3, 16: ἐπιστεύθη, contra II. Tim. 2, 13: εἰ ἀπιστοῦμεν. Unde evenit, ut vocabulum πίστεως saepissime in his inveniatur epistolis, cf. I. Tim. 1, 2. 4.

---

[1]) Cf. *Schumann, Der weltgeschichtliche Entwickelungsprocess in seinen Hauptmomenten nach dem Lehrsystem des Paulus, Crefeld 1875, p. 4. 5.* — [2]) Cf. *Hutherum* ad locum.

18 s., ita vero, ut principalem fidem habere locum non difficile cognoscatur.

Fides non potest esse sine cognitione quadam; agitur enim in fide de veritate cognoscenda: fides actio est hominis intelligentis cf. I. Tim. 2, 4 s. Quodsi πίστις et ἀλήθεια conjunguntur ib. v. 7., Hutherus bene illam „*das subjective Verhalten*", hanc „*das objective Gut*" esse scribit, si quidem v. 15. cf. 4, 12; II. Tim. 1, 13; 2, 22; 3, 10 fides cum aliis actionibus „subjectivis" vel potius humanis conjungitur, scilicet cum ἀγάπῃ et ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. Inde etiam hoc apparet, non solius intellectus, sed totius hominis, praecipue autem voluntatis, eam esse actionem, cf. II. Tim. 3, 5., neque simul et incipi et finiri, sed debere fideles μένειν ἐν πίστει, I. Tim. 2, 15 cf. 4, 1; 6, 11. 12; 4, 17. Ex fide provenit ὁμολογία (6, 12 al.) oris coram testibus et πολλὴ παῤῥησία 3, 31.

Objectum vero fidei est Deus unus et unus mediator Jesus Christus I. Tim. 2, 4 s., Deus vivus, σωτήρ omnium hominum, maxime fidelium 4, 10 cf. 6, 17., Jesus Christus ἐγηγερμένος ἐκ νεκρῶν II. Tim. 2, 8., veritas I. Tim. 2, 4; 4, 3., mysterium 3, 9. Quamobrem fides sana sit oportet sive sint fideles ὑγιαίνοντες Tit. 1, 13., non scilicet veritati volentes imperare sed secundum veritatem fidem suam et cognitionem dirigentes, cf. pag. 37. Vehementer his epistolis sana postulatur doctrina; doctoribus enim evangelii scriptae sunt de recto docendi modo; nam quia de rebus a Deo revelatis in fide i opere agitur, neque quae doceantur neque quomodo doceantur nulla referre dici potest cf. I. Tim. 4, 6; 6, 30; II. Tim. 1, 13. Quin Scripturas Sacras Veteris Testamenti respicit is qui scripsit modo in ceteris epistolis Paulinis inaudito II. Tim. 3, 14—16; τὰ ἱερὰ γράμματα enim commemorantur et γραφὴ θεόπνευστος dicuntur; sed nihil obstat, quominus Deus hominibus fidelibus Scripturas Sacras dediderit ad διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, denique ad fidei actionem augendam, confirmandam, probandam, supra pag. 40 ss.

Non caute videtur dictum esse I. Tim. 2, 15., feminam salvari διὰ τῆς τεκνογονίας, sed additur: ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει. Item 4, 16 si legimus: τοῦτο γὰρ ποιῶν καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου, ea quae Timotheus facit non ultimam praebent causam τοῦ σώσειν; tenet enim et servat ea quae Deus donat Tit. 2, 11—14; I. Tim. 6, 20; II. Tim. 2, 2; 3, 14; 4, 7 s. Omne igitur peccatum christianorum ob eam rem peccatum est quia is qui peccavit τὴν πίστιν ἤρνηται

et sive similis hominis infidelis sive infideli pejor factus est I. Tim. 5, 8. 12; 6, 10. 21; propter peccatum τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ βλασφημεῖται I. Tim. 6, 1; Tit. 1, 16; 2, 5 cf. 10, nam κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας agit is qui peccat II. Tim. 4, 3. Contra laudatur id, quod est ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ θεοῦ I. Tim. 5, 4. Videmus, omnia in Deum referri sicut in prioribus epistolis. Quin homo fidelis ipse pulcherrime dicitur ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ I. Tim. 6, 11; II. Tim. 3, 17., ut intelligatur, per fidem eum in solum Deum se totum convertisse et cum eo unitum esse. Qua re etiam de lege simili modo quo antea scribitur I. Tim. 1, 5—11, cf. 4, 3—5; Tit. 1, 14 s.; 3, 9., ut ἐντολήν 6, 14 regulam fidei exhibendae, et bona opera 6, 18; II. Tim. 2, 21 opera fidei esse satis eluceat, cf. Tit. 3, 14 et pag. 41. Quin ethica christiana excellentissimis augetur propositionibus I. Tim. 4, 4 s.: πᾶν κτίσμα θεοῦ καλόν, quod quidem μετὰ εὐχαριστίας accipitur, et Tit. 1, 15: πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς · τοῖς δὲ μεμιαμμένοις καὶ ἀπίστοις οὐδὲν καθαρόν. Ex quibus propositionibus non minus quam ex illo quod ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ appellatur fidelis, mihi quidem Paulus apostolus apertissime agnosci videtur, ut quamvis senescentis, tamen Pauli has epistolas esse libentissime credam.

V.

In **Actis apostolorum** eadem Pauli de fide sententia invenitur. Taceo de Luca amico Pauli et discipulo qui Pauli notionem fidei in libro illo scribendo non sequi non potuerit, cf. 13, 8; 14, 22. 27; 15, 5. Longum est de eo disserere. Orationes vero a Paulo habitas ita eum tradidisse verisimile est, ut opus sit eas inspicere.

Orationes in primo et secundo itinere habitae (13—18, 22) respondent epistolis quae sunt ad Thessalonicenses. Omnia, quae Paulus in illis capitibus narratur et egisse et locutus esse, optime congruunt cum iis quae perquisitis illis epistolis invenimus. Ne illa quidem, quae capite 15. de quatuor mandatis [1]) referuntur, iis quae

[1]) *Ritschl, Altkatholische Kirche, p. 127 ss.; Bleek-Mangold, Einleitung, 1875, p. 435 s. Reuss, Geschichte der heiligen Schriften etc. 1874, p. 57.*

diximus opposita sunt, sed ex illis, quae pag. 11. de ethica christiana exposuimus, satis intelligi possunt. Ex loco 13, 10 cf. v. 8. videmus, Paulum existimavisse, objectum et fidei et praedicationis suae esse τὰς ὁδοὺς κυρίου τὰς εὐθείας, veritatem scilicet, atque veritatem non naturalem sive humanam, sed divinam 13, 16—41 cf. 46. 47. Judaeis qui erant Antiochiae in urbe Pisidica apostolus praedicavit, omnem historiam Judaeorum revocandam esse ad Jesum mortuum, immo vivum, per quem remissio peccatorum nuntietur v. 38 et vita aeterna v. 46. Praedicari vero τὸν λόγον τῆς σωτηρίας ταύτης, primo Judaeis v. 26., deinde gentilibus v. 46 ex Dei gratia; quamquam enim vocabulum χάριτος non adhibetur (invenitur autem 14, 3 cf. 15, 11), tamen res describitur v. 39: ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. Δικαιωθῆναι scilicet additur hominem ἀπὸ πάντων ab omnibus quae justitiae obstabant peccatis (cf. pag. 29 ss.), quod quidem fieri non potuerit lege Mosaica vel intra terminos legis Mosaicae (cf. pag. 21 s.), sed fiat in Christo, sub condicione fidei: πᾶς ὁ πιστεύων δικαοῦται. Fides opponitur legis operibus; tamen tale aliquid est, quod agant homines, velut e contrario Judaei qui fidem denegant v. 46 dicuntur ἀπωθεῖσθαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Quod si ἀπιστία est reprobatio, fides est actio accipiendi verbi divini et voluntate et cognitione v. 27., cf. pag. 5 s.

In secunda oratione (14, 15—17) apud gentiles Lystranos habita fidei mentio non fit, sed quia ab iis sicut ab omnibus hominibus fidem postulavit Paulus, describitur fides, esse scilicet eam docemur actionem quandam accipiendi Dei ipsius vivi, creatoris omnium rerum, quae fieri non possit alio modo, quam ut conentur ἐπιστρέφειν a diis vanis ad veritatem, cf. pag. 6 s. Quae quidem actio originem habet in eo, quod Deus non ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν ἀγαθουργῶν et quod nunc εὐαγγελιζόμενοι sunt ejus apostoli, cf. pag. 7.

De concilio [apostolorum [1]) non opus est dicere; neque enim de Paulo ipso capite 15. aperte narratur, et ejus de lege (v. 10), gratia (v. 11), fide (v. 9) sententia facile recognoscitur. Minus mihi videtur negligendum, quod Paulus Philippis custodi ex eo quaerenti: τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; respondit: πίστευσον ἐπὶ τὸν κύριον

---

[1]) Cf. *Lechler, Das apostolische und nachapostolische Zeitalter. 1851. p. 255. Hilgenfeld, Paulus und die Urapostel (Zeitschrift für wiss. Theol. 1862. p. 101 ss. 205 ss.). Ewald, Geschichte Israels, VI, 469 ss. Hausrath, Neutest. Zeitgeschichte, II. 1872. Abschn. 8. Lutterbeck, II, 84 ss.*

'Ἰησοῦν, ut appareat, πιστεῦσαι esse ποιεῖν quoddam sive actionem hominis, illam scilicet singularem, qua sola homo σωθῆναι possit. Ex eodem versu atque ex 17, 7 apparet, Paulum illo tempore de persona Jesu omni vi praedicavisse, non de inani vel generali aliqua philosophica fidei notione, cf. pag. 6 s.

Ex iis vero, quae apostolus Atheniensibus praedicavit in Areopago 17, 22—31., videmus, Paulum gentilibus cognitionem quandam naturalem veritatis tribuere (cf. pag. 8) atque ad eam se convertere praedicantem, eam vero cognitionem tantum ei videri abesse a plena veritate, ut ignorantia sit v. 30 atque oporteat veritatem illis praedicari. Praedicationis autem summa haec fere est: 1) Deus vult, omnes homines ubique μετανοεῖν v. 30. 2) Deus judicium habebit de mundo in (ἐν) eo, qui resurrexit e mortuis v. 31. 3) In eodem Deus est πίστιν παρασχών. Itaque idem fere significatur verbis ὁ θεὸς παραγγέλλει μετανοεῖν atque verbis πίστιν παρασχών: πίστις cum μετανοεῖν aliquo modo conjuncta est. Fidem vero Deus παρέσχεν aut tanquam donum eam praebens, quum et objecta et fundamentum opus Christi viresque fidei ipse donaverit, aut tanquam condicionem facile implendam hominibus eam admittens; actio vero hominis nullo modo excluditur, sed verbo μετανοεῖν expresse postulatur.

Ceterae quae in actis (18, 23—c. 28) referuntur orationes respondent quatuor epistolis principalibus atque etiam ad eas spectant epistolas, quae a captivo scriptae sunt apostolo. Ex eo, quod 19, 2 quaerit, εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε πιστεύσαντες, concludimus, initium novae Christianorum vitae poni in τῷ πιστεῦσαι quod ad actionem humanam attinet et in τῷ πνεῦμα ἅγιον λαβεῖν quod ad donum divinum attinet, cf. pag. 39 s., ut cognoscatur fidem re vera esse eam fidei actionem, qua Spiritus Sanctus accipiatur; accedit τοῦ βαπτίσματος signum externum. Etiam Joannem baptistam dicit ab iis qui eum audierint petiisse, ἵνα πιστεύσωσιν εἰς τὸν Ἰησοῦν v. 4. Porro narratur Paulus 20, 18—35 Mileti presbyteris Ephesinis totam suam vitam depinxisse cf. p. 40 s. ut servitium Domino praestitum v. 19 et testimonium de εἰς θεὸν μετανοίᾳ et de fide in Jesum Dominum; nihil igitur se voluisse affirmat nisi nuntiare gratiam Dei et admonere homines ad fidem ostendendam. Coram Judaeis deinde Hierosolymitanis c. 22 et synedrio 23, 1—6 apostolus profitetur, re vera Christum resurrexisse e mortuis; omni modo eos non vult ignorare

veritatem, ut ex sua ipsorum voluntate scientes fidei actionem sive oboedientiam veritatis recusent, cf. supra pag. 7 s. et pag. 34. Felici vero proconsuli 24, 10—21 explicat, doctrinam suam non abhorrere a Scripturis Sacris Veteris Testamenti, immo se λατρεύειν τῷ πατρῴῳ ϑεῷ et πιστεύειν πᾶσιν quae in illis libris scripta sint, cf. pag. 17 s. Neque vero de fidei christianae objectis multa ibi affert nisi de resurrectione mortuorum; non enim putavit oportere ubique omnia dicere, sed unicuique quae possit intelligere, cf. pag. 36. Ethicam vero christianam quae e fide nascatur describit v. 16: ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν ϑεὸν καὶ τοὺς ἀνϑρώπους διὰ παντός, cf. pag. 41 s. Denuo resurrectionem in oratione coram Agrippa habita c. 26 urget, quae quidem nulla adsit causa cur non pro vero habeatur v. 8: non omni ex parte ea quae credenda sunt obsistunt rationi humanae, cf. pag. 37. Se ipsum quondam confitetur falso haec opinatum esse v. 9., sed postea convictum esse viso Christo vivo, neque inoboedientem fuisse τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ v. 19., sed jussisse homines μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν ϑεὸν ἄξια τῆς μετανοίας πράσσοντας v. 20. Quibus verbis fidei et initium et continuationem describi ex eo quoque perspicitur, quod vocabulo ὅϑεν haec praedicatio secuta esse significatur mandatum Domini Paulo datum v. 17 s.: ἀνοῖξαι ὀφϑαλμοὺς αὐτῶν, τοῦ ἐπιστρέψαι . ., τοῦ λαβεῖν .. πίστει τῇ εἰς ἐμέ, unde cognoscimus, πίστιν esse actionem accipiendi dona ejus spiritualia conjunctam cum convertendo in Deum. Summam vero praedicationis suae apostolus v. 21 s. dicit semper fuisse Christum qui passus sit et resurrexerit, cui vel prophetae et Moses servierint, cf. pag. 35. Ultimo denique capite denuo perspici potest, quomodo universalismus qui dicitur Paulinus cum fidei ejus notione cohaereat, cf. p. 34 s.

VI.

Jam Paulinam fidei notionem paucis comparemus cum ea quae invenitur in epistola ad **Hebraeos** scripta et in epistola **Jacobi.**

Ea quae est in epistola ad Hebraeos missa [1]) a Paulina non plane

---

[1]) Cf. *Delitzsch, Commentar zum Hebräerbrief, 1857, p. 511—522,* praesertim p. 518 et 520. *Schulz* p. 100 cf. 99. *Rückert* p. 264 s. *Immer* p. 413. *Schwegler, Nachapost. Zeitalter, II, p. 322 s. al. Bleek, Comment. II, 2. 1840, p. 154 s. 719. 721. v. Hofmann, l. c. II, p. 635 ss.*

abhorret. Quae enim 11, 1 datur definitio notissima (quae definitio non est) illustratur eo, quod 3, 14 legimus: participes nos Christi factos esse eo, quod τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν, atque v. 18., nemini Deum jurando minatum esse τὸ μὴ εἰσελεύσεσθαι . . nisi τοῖς ἀπειθήσασιν, cf. v. 19 διὰ ἀπιστίαν. Quodsi πίστις illa ὑπόστασις est (11, 1), habet fides ἀρχήν, quam oportet μέχρι τέλους κατασχεῖν cf. 4, 14; 10, 35. Ἀπιστία est ἁμαρτάνειν v. 17., ἀπειθεῖν cf. 4, 11; igitur πίστις oboedientia 5, 9; 11, 8. Debemus fidem tenere usque ad finem: in actione fidei, tenendi scilicet ὑπόστασιν et oboediendi, oportet permanere. Ex versu 12. intelligimus, cor hominis malum esse propter ἀπιστίαν ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ θεοῦ ζῶντος, bonum igitur propter fidem; ἀπιστία est deficere a Deo vivo et vero, cf. 10, 2. 38 s., est (cap. 6) crimen laesae majestatis, πίστις conversio ad Deum verum cf. 11, 6. Nihil prodest ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς nisi συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν: πίστις est interna aliqua res, quae cum verbo debet quasi commisceri, ut hominibus prosit: videmus, ex mente ejus qui epistolam scripserit, actionem humanam verbi assumendi fidem fuisse. Fide vero participes Christi fiunt homines fideles 3, 14 cf. 4, 3; 10, 38; 11, 4. 6 a. 7. Accedit, quod gratia Dei satis urgetur, cf. 4, 16., quod finis legis ubique in epistola describitur, cf. 2, 2 ss.; 7, 16 ss.; 10, 1 al., quod denique objecta fidei christianae praeclarissime describuntur, neque hoc quidem negligitur, ea quae credantur opposita quodammodo esse iis quae cernantur et sciantur, 11, 1. 7. 8. 13, cf. supra pag. 37.

Itaque res, si notionis fidei definitionem respicimus, apud hunc auctorem eadem est atque apud Paulum. Sed differunt aliquantum scriptores in ejusdem rei describendae modo. Certe enim eadem res diversis modis solet describi: quidni fides, res gravissima et maxima? Paulum eo vidimus adductum fuisse, ut fidem opponeret operibus legis, unde propositio ejus principalis fuit, fidem non esse opus legis, sed eam hominis actionem, qua Dei gratia divinis viribus sola et tota accipiatur. Is vero, qui epistolam ad Hebraeos scripsit, quia cum christianis labantibus qui erant ex Iudaeis ei res erat, primo quidem magnitudinem earum rerum celebrat, quas fide accipiant christiani, unde evenit, ut et ὁμολογίαν cf. 3, 1 et cognitionem doctrinamque cf. 6, 1 ss. 10, 26; 11, 6 (ὅτι) urgeat, praesertim vero certitudinem postulet, ita ut non fidem solum habere πληροφορίαν dicat 10, 22., sed ipsam ὑπόστασιν et ἔλεγχον esse describat 11, 1., postquam 10, 38 s.

τὸν δίκαιον e fide vivere declaravit. Tamen neque capite 10. neque 11. naturam fidei ipsam distincte et dilucide definire voluit; immo demonstravit, fidem esse rem maxime efferendam, quoniam ex eo vivat justus 10, 38. Quia vero attributum gravissimum actionis fidei est certitudo, — aut enim firme fideles Deum tenent aut non tenent in ἀπιστίαν aberrantes — adeo ut certitudo a natura fidei re vera separari non possit, ne logice quidem is qui scripsit distinxit, immo attributum fidei tanquam naturam fidei ipsam depinxit, quod quidem certe licuit non definienti sed describenti fidem. In hac vero ipsa re a Paulo differt, quod id quod attributum fidei est, cum ejus natura confudit, vel statum certitudinis animi qui cum fide conjunctus est [1]) ab ipsa fidei actione non distinxit. Tamen ea quae capite 11. adjunguntur fidei exempla non statum solum animi describunt sed actionem etiam fidei singulis operibus cognoscendam. Quod vero illa exempla Veteri desumpta sunt Testamento, inde mihi non sequi videtur, eum qui scripserit ad Hebraeos sensum latiorem habuisse fidei *[Schwegler, Schulz, Rückert]*; nam etiam Paulus laudat Abrahamum e fide justificatum aliosque vere fideles in Vetere Testamento existimat fuisse, non patres reprobans, sed legem, atque ut objectum fidei principale Deum ipsum statuit virum et verum, cf. pag. 6 s. 35. Apparet, rem descriptam eandem esse atque apud Paulum, Paulum vero sagacius et accuratius et ex alia parte rem desoripsisse.

In epistola Jacobi [2]) similiter res se habet. Non dubito, quin Jacobus noluerit cum Paulo pugnare, cf. Act. 15. Non enim tam acriter scribit, ut hoc existimare liceat, neque eam impugnat fidem, quam Paulus praedicat, sed eam fidei formam, contra quam ille et ipse pugnat. In hoc vero est discrimen, quod Paulus falsae fidei, inani scilicet scientiae, fidei nomen omnino non tribuit; actionem totius hominis fidem esse existimans, Jacobus vero, quia ii quibuscum pugnabat tali utebantur modo dicendi, huic falso sive mortuo fidei

---

[1]) *Gerhardius l. l. p. 356. 368*: fidei . . tribuitur ὑπόστασις cet., quippe quae ad effectus fidei pertineat. Cf. autem p. 362 ss. — [2]) Cf. *Kern, Der Brief Jacobi, Tübingen 1838, p. 4—55. Baur, Paulus, II, p. 322 ss. Schulz, p. 100 s. Dähne, p. 90. Lutterbeck, II, p. 188. Hilgenfeld, Das Urchristenthum in den Hauptwendepunkten seines Entwickelungsprocesses 1855. Kahnis, l. l. 266 ss. W. Schmidt, Der Lehrgehalt des Jacobus-Briefes, 1869, p. 96 ss. 157 ss. Hofmann, Schriftbeweis II, p. 639 ss. Reuss*, Histoire etc. I, p. 251 ss. *Bleek-Mangold, p. 63 ss. Immer, p. 436 s. Ritschl, l. c. p. 109 ss.*

modo illud nomen dat. Uterque eandem rem praedicat, diverse significat. Alter fidem solum principium vitae christianae nuntiat eam ex qua opera bona non possint non procedere, ut fides sine operibus cogitari nequeat, quamvis in justificatione opera non respiciantur, alter fidem in qua opera sint vel quae cum operibus non possit non conjungi, ut fides sine operibus cogitari quidem et appellari possit, sed mortua sit et σῶσαι nequeat. Etiam Jacobo fidei notionem principalem esse, elucet ex 1, 6; 2, 5 al. Adde quod 1, 17. 18 non solum omne donum bonum a Deo dari dicitur, sed etiam novus christianorum status regeneratione factus esse describitur verbo veritatis audito, et quod v. 12. idem Deus dicitur promisisse et daturus esse τὸν στέφανον τῆς ζωῆς: gratiam Dei solam non ignorat Jacobus. Statum peccatorum dicit φιλίαν τοῦ κόσμου et ἔχθραν τοῦ θεοῦ 4, 4., statum bonum ita delineat: Deo ὑποταγῆναι 4, 7 et ταπεινωθῆναι ἐνώπιον κυρίου, ut in Deum referantur omnia opera bona, cf. 4, 15., sicut a Paulo cf. pag. 40 s. Neque opera legis postulat Jacobus, sed opera fidei, ex libertate enim ea progredi vult 1, 25 atque legem Mosaicam eodem fere modo quo Paulus in amoris mandatum dissolvit 2, 8—12., singulaque praecepta non ex lege Mosaica, sed ex conscientia fidelium evolvit.

Quodsi res ita se habet, Jacobus eandem videtur fidei notionem a Domino accepisse, sed non eodem modo in animum recepisse vel verbis expressisse. Paulo se non opponit [1]), sed fortasse Paulum non plane intellexit, quia alius Jacobi videtur fuisse modus sentiendi et dicendi et agendi, alio ei dato charismate. Hominem practicum ii qui nunc vivunt eum appellavissent si tum fuissent, Paulum vero theoreticum, philosophicum, systematicum; hic in scribendis illis epistolis versatur in finibus theoreticis potissimum, curans ne opera legis cum fidei sola et vera actione vel potius cum Dei gratia justificante commisceantur; ille homines fideles admonet, ne fidem totius hominis actionem operibus singulis probandam esse obliviscantur, quod ne ille quidem voluit. Voces inter se discrepant, Jacobo quodammodo incaute vel etiam male loquente 2, 14. 22. 24; in re unanimes fuerunt; quodsi Paulus epistolam legerit, non dubito quin senserit dixeritque: ἑκάστῳ ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως Rom. 12, 3.

---

[1]) Quo tempore epistola Jacobi conscripta sit (cf. *Bleek-Mangold, p. 631 s.)*, mea hoc loco non refert.

Epilogus.

Finem dissertationis faciamus. Quam si quis benigno perlegerit animo, fortasse concedet, non plane superflua esse ea, quae in illa dicta sunt. Quamvis enim multa de fide conscripta sint, tamen in eo mihi videtur saepissime errari, quod genus proximum definitionis, actionem scilicet eam esse spiritualem hominis, non ita in medio ponatur, ut satis eluceat; unde fit, ut fides fere nunquam definiatur, semper describatur. Id enim quod doctores ecclesiae nostrae dicunt, eam esse donum divinum, nemo erit quin consentiat ad fidei naturam ipsam non pertinere, sed esse enuntiationem syntheticam. Atque si forte in praedicando aliquis vel in scribendo dicere audet, fidem esse *eine sittliche That* vel *eine That des Geistes*, tamen ita dicit, ut fides certe per eum ita appellari, re vera autem actio esse non videatur. Quorsum vero notitia et fiducia, quorsum *Vertrauen* et *Zuversicht* et *Ueberzeugung* et *Hingabe* spectant nisi ad actiones humanas? [1]) Timide, nisi fallor, et prudenter ii qui nostrae adnumerantur ecclesiae genus illud proximum tangunt; num ego jure ausus sim proferre, judicent quorum est. Satis mihi fecisse videbor, si genus illud proximum recte dixero. Quia enim de veritate agitur, aliquid profecisse nos existimabo aut recta definitione prolata aut falsa rejecta, quoniam quum omnino tum in theologia claris et distinctis opus est notionibus.

De causa vero, cur timidi sint christiani evangelici in definienda fide tanquam actione humana, egomet non dubito. Paulus apostolus summo jure viam praescripsit doctrinae evangelicae, quam secutus Lutherus resistentibus Pontificiis gratiam divinam praeclare celebravit praedicavitque fidem non esse opus legis. [2]) Quod quia firmissime et optime tenuerunt in animo qui illos secuti sunt, eo quid non

---

[1]) Cf. praesertim *Gerhardium, l. l. p. 350 ss. v. Hofmann, Schriftbeweis, 1857, I, 581 ss. Thomasius, Dogmengeschichte I, p. 3. 4. 12. II, p. 224. Luthardt, Lehre vom freien Willen, 1863, p. 464 s. Philippi, Glaubenslehre, I. 1864, p. 49 ss. Kahnis, Dogmatik, I, p. 106 ss. II, 222 ss.*, praesertim *251*: *Ist das Verdienst abgeschnitten, so fällt auch das Interesse weg, welches der lutherische Augustinismus hatte, gegen ein thätiges Verhalten zu protestiren.* — [2]) Cf. *Melanthonis* institutionem in epistolam Pauli ad Romanos (Corp. Ref. t. 21), § 10; *Herlinger, Theologie Melanchthons, 1879, p. 5 s; Lutherum* ad Gal. 2, 16.

sit fides primo audito, scilicet opus (legis), quid tandem sit fides difficillimum visum est dicere. Semper enim vel nolentibus iis in animo erat vel ipsi profitebantur, eam esse actionem spiritualem hominis; sed actiones spirituales ab operibus legis discernere non facile videbatur; quam ob rem noluerunt fidem definire, maluerunt describere. Inde non ortae quidem, sed acriores fortasse factae sunt quaestiones illae saepissime repetitae de fide et operibus, de Paulo et Jacobo, de Luthero et Arndio, bellum illud celeberrimum Tubingense; ne enim *C. F. Baur* quidem satis explicuit quid fidem Paulus dicat esse. [1]) Nunc velim aliquantulum attulerim ad auferendum obstaculum, quum nisi fallor demonstraverim Paulum et ipsum inter actiones hominis spirituales fidem habere. Alteram partem veri fortasse nimis urgeo, altera parte certe satis elata. Ecclesiam vero nostram [2]) in re ipsa nego errasse, theologos solum formam theologicam difficiliorem reddidisse. Non enim novas res mihi videor in medium protulisse. [3])

---

[1]) Cf. *Lechler* v. d. l. c. p. 66. — [2]) Cf. Apol. Conf. IV, 48: fides .. est velle et accipere oblatam promissionem ss. — [3]) Liceat testem afferre *Rückertium*, l. c. p. 266 dicentem: „*Luther wusste, was der Glaube wäre, weil sein Leben ein Leben im Glauben war, und hatte ihn nicht allein nach seiner objectiven, sondern eben so sehr nach seiner mystischen Seite aufgefasst. Auch die Bekenntnisse unserer Kirche, kann man nur von einigen Unbeholfenheiten im Ausdrucke absehen, bieten einen Begriff des Glaubens dar etc. Unterschiede* (inter theologiam Rückertianam et confessionum) *bleiben, der eine, dass vermöge der Grundvorstellung von der Unkraft des Menschen, und aus Furcht, der Ehre Gottes und Christi abzubrechen, man übersah, dass im Glauben gerade das das Wesentliche, dass er eine That des Geistes ist, und ihn allein zur Gnadenwirkung machen wollte, nicht beachtend, dass man ihn selbst dadurch aufhob etc.*“ Existimo, actionem humanam posse nos tenere etiamsi non contemnamus cum Rückertio objectum illud quod fide accipitur. Cf. *Ewald*, *Lehre von Gott*, *IV*, *p. 115*.

Corrigenda et addenda.

Pag. 5. not. lin. 2. lege καὶ pro καί.
„ 10. lin. 23 lege ἐνδοξασθῆναι pro ἐνδοζασθῆναι.
„ 25. lin. 16 adde: Inde intelligitur, quid sit הצדיק et δικαιοῦν.
„ 32. lin. 22 lege τῇ pro τῆ.

LIPSIAE, TYPIS W. HARTMANNI.





